



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Clementis papæ VIII. vita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15522**

luerit. Morbus qui multorum malo vitæ filum illi abruptit, fuit febris continua, & reddendi lotii difficultas ex calculo nata. Quinque cardinales creauit, de quorum numero fuit Sfondratus. Sedes post eius mortem dies 15. vacauit.

## VITA

## INNOCENTII PAPÆ IX.

ANNO  
CHRISTI  
1591.Innocen-  
tius IX.  
qualis, &  
quando  
pontifex?

**I**NNOCENTIUS IX. cathedram sancti Petri conscendit die 29. Octobris, anno Christi nati 1591. tempore Rodulphi II. imperatoris. Ante pontificatum Ioannes Antonius Farquinetus nomen illi fuit. Cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum a Gregorio XIII. factus est. Summa integritate, variaque in omnibus pene facultatibus eruditione imbutus, rerum vsu & longa praxi edoctus, omnium animos in meliorem spem erexit. Verum grauis annis, curis, & laboribus fractus, postquam populum a plerisque grauaminibus liberasset, duosque ex fratre pronepotes in purpuratorum ordinem adsciuisset, ad quietiorem vitam migravit 29. Decembris anno Domini nostri 1591. Post obitum eius vacauit sedes vno mense.

## VITA

## CLEMENTIS PAPÆ VIII.

ANNO  
CHRISTI  
1592.Clemens  
VIII. qua-  
lis, & quan-  
do ponti-  
fex creatus?

**C**LEMENS huius nominis VIII. Hippolytus Aldobrandinus antea nominatus, ex cardinale sancti Pancratii, & summo pœnitentiario, trigesimo die post ingressum conclauis magno omnium cardinalium consensu & studio renuntiatus est pontifex tertio Kalendas Februarii anno Redemptoris nostri 1592. tempore Rodulphi II. imperatoris. Clementis nomen illi impositum est, quod vir magnæ apud omnes existimationis, incredibili prudentia & dexteritate legationem nobilissimam & vtilissimam in Polonia obiisset, aliasque res ecclesiæ difficillimas & grauiissimas confecisset. Princeps erat iis animi dotibus præditus, quæ in summo viro & vniuersali pastore desiderari possunt. Initio pontificatus, (teste Baronio, anno 369.) quo-

tidiana illi mensæ tredecim ex ipsis vetere instituto parari solita, adiecit alteram prope cœnaculum suum pauperibus peregrinis potissimum e remotioribus regionibus in Urbem confluentibus in singulos dies parandam, ad quam e sua preciosiora quæque & lautiora vilioribus sibi retentis afferri iussit. Henricum Navarraum Gallia regem ab excommunicationis anathemate absoluit. Sigismundo Transilvania principi inuictissimo, qui murum sese in oriente pro domo Israel fortiter opposuit, Moldauis quoque & Valachis excutiendi iugum Turcicum auctor fuit. Ceteros orbis Christiani reges & primates ad concordiam inter se & arma in barbarum dirigenda non intermissis laboribus paterna sollicitudine adhortari non destitit. Episcopos quos creaturus erat cum aliquot cardinalibus ad hoc delectis, adhibitisque simul qui in Vrbe sunt doctissimis theologis & canonici iuris peritissimis, diligenti primum atque improviso examine probauit, cuius peritiæ essent; adeo ut sub ipso non nisi bene diserto ad episcopatum aditus patuerit. Alexandrinae ecclesiae legatos, catholicam & orthodoxam fidem suo, sui que patriarchæ Gabrielis atque totius ecclesiae nomine profitentes, atque Dioscorum, aliosque hæreticos & schismaticos damnantes benefice excepit, & paterne fouit. Cum orthodoxo Transilvaniae principe, exiguo militum numero, si eum cum numerosissimis Turcarum copiis compares, copiosissimum Turcarum exercitum fudit, & profugauit. Ruthenos ad communionem ecclesiae recepit. Titulum sancti Cæsarii in Palatio, nimia vetustate collapsum, penitusque inaccessum atque desertum, ideoque a Sixto quinto e numero titulorum expunctum, custos antiquitatum ecclesiasticarum restituit & restaurauit. Effusas nimium concessionem indulgentiarum restrinxit. Inuento, & religiose adorato corpore sanctæ Cæcilie, miraculose sanatus est a podagra, qua diu multumque grauititer laborauerat. Qua ratione vero ista contigerint, illustrissimus cardinalis Baronius, qui præsens interfuit, & vidit, prolixè enarrat his verbis: At quid acciderit his diebus, exigit opportunitas ac dignitas argumenti, ut hic describamus. Cum enim eiusdem tituli sanctæ Cæcilie presbyter cardinalis Paulus Sfondratus, nepos sanctæ me-

Clementis hospitalitas.

Henricum regem Francorum a sententia anathematis absoluit.

Alexandrinus & Ruthenos ad communionem ecclesiae recepit.

Miraculose liberatur a podagra.

De inuentione corporis sanctæ Cæcilie.

moriam Gregorii XIV. Romani pontificis, post exornatam a se eandem ecclesiam, adiiceret animum ad confessionem ipsius nobiliter illustrandam, atque locupletandam, delectis sanctorum reliquiis summa industria perquisitis, & in urnis argenteis pluribus magni pretii collocatis, ut eas ibi reconderet, sed non caperet locus patens inter altare & confessionem, necesse habuit spatium dilatare. Quod dum fieret, vetus excavatum foramen detegitur peruium ad corpus sanctæ Cæcilie, per quod (ut alias superius diximus) soleret fidelium pietas dimittere sudariola, quæ tactu sepulcri martyris haurirent gratiam sanitatum. Sicque per ipsum inuentum est pariter venerandum sepulcrum illud, quo claudebatur sacrum corpus insignis virginis atque martyris Cæcilie, de qua inscriptio foris posita certam & exploratam in omnibus fidem faciebat.

*Ioan. 20.*

Quid tum ille? exemplo Ioannis, qui etsi cucurrit citius Petro & prius venit ad monumentum, abstinuit tamen ab ingressu sepulcri, deferens apostolico culmini peruestigationem ipsius: munita mox capsâ sigillis, cucurrit festinus in Tusculanum ad summum pontificem, ut de tanto inuento thesauro ipsum præsens redderet certiore. Laborabat ipse sanctissimus Clemens acrioribus podagræ doloribus, & licet nullum ad audientiam admitteret, ubi tamen eius aduentus causam cognouit, statim præsentem adesse voluit, & audire cuncta, quæ facta essent. Quibus magna animi delectatione perceptis, ex eo tamen doluit & ingemuit, quod eo detineretur ex mala valetudine impedimento, & non valeret (quod maxime optaret) ad inuisendam & salutandam tantam martyrem properare. Sed cessit impedimentum istiusmodi meo lucro: etenim me tanto licet munere indignissimum præmisit explorare & adorare venerandum Cæcilie corpus. Sicque nulla penitus interposita mora, eadem celeritate qua venit, rediens & ipse eadem die Romam, simul ad ipsum titulum sanctæ Cæcilie summo vespere lati peruenimus.

*Arca cupressina illa servata.*

Vidi quæ in marmoreo monumento posita erat arca cupressinam, qua sacra membra Cæcilie claudebantur, operculo ductili clausam, eandemque modice læsam: ut  
vehc-

vehementer fuerim admiratus, quomodo post octingentos septuaginta octo annos potuerit arca lignea, humectante illam marmoreo sui natura sepulcro, subrus terram absque vlla aeris participatione locata, ita integra & illaesa feruari, & non penitus tanta humiditate laxata, iam dissoluta marcuerit, fortis, solidaque perstiterit, vt absque laesione tangere, contrectare, amplexari quis eam pro arbitrio posset & stringere, integrum adhuc vsum ipso eius operculo ductili retinente, vt ad ostensionem duci posset pariter & reduci: quod saepe saepius fieri contigit pluribus diebus illis, quibus antequam eodem in loco, in confessione iterum conderetur, idem venerandum corpus intus clausum quamplurimi videre cuperent & venerari.

Cum nos ista de lignea arca non sine magna admiratione vidissemus: ad id quod intus detinebatur sacrum martyris corpus intuendum deuenimus. Ac plane, secundum illud Dauidicum: *Sicut audiuiimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri.* Etenim vt a Paschali papa inuentum & reconditum fuisse legimus, & superius recitauimus, venerandum Cæciliæ corpus, ita inuenimus, nempe ad pedes eius quæ fuerant madida sanguine vela; & serica fila auro obducta, quæ viscebantur, iam vetustate solutæ vestis illius auro textæ, cuius idem Paschalis meminit, indices erant.

Alia vero supra martyris corpus serica, leuia tamen velamina posita, ipsaque depressa, situm ipsum & habitudinem corporis ostendebant. Viscebaturque (quod admiratione dignum erat) non vt assolet, in sepulcro refupinum positum corpus, sed vt in lecto iacens honestissima virgo supra dextrum cubare latus, contractis non nihil ad modestiam genibus, vt dormientis imaginem redderet potius quam defunctæ, ipso ita ad insinuandam in omnibus virginalem verecundiam composito situ corporis; adeo vt (quod æque mirandum) nemo quamuis curiosus inspector, ausus omnino fuerit virgineum illud detegere corpus, reuerentia quadam inenarrabili repercussus, perinde ac si cælestis sponsus assisteret vigilans custos dormientis sponsæ, monens & minans: *Ne suscitatis, neque enigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Vidimus, cognouimus, & adorauimus.

Concil. Tom. 36.

F f f f f

Situs corporis sanctæ Cæciliæ in sepulcro.

Can. 3.

Die vero sequenti illucescente, super eandem confessionem obtulimus Deo in memoriam & honorem tantæ virginis & martyris, & aliorum conditorum ibi sanctorum, sacrificium Missæ: inde vero ad summum pontificem, qui miserat, reuersi in Tusculanum singula visa retulimus.

Parat solennem repositionem Clemens papa.

Audiuit ipse cuncta magna animi voluptate, simulque de solenni mox cogitare cœpit repositione eiusdem venerandi corporis in confessione, quam non per alium quempiam quantauis dignitate pollentem, sed ipse celebraturus esset solennissima pompa. Conditur certa dies, ipse natalis eiusdem Cæcilie virginis. Interim de parando preciosiori loculo cogitans, aureum facere meditatur; sed dissuasus, eo quod impiis effossoribus sepulcrorum illecebræ aurum esse soleret, argenteam prægrandem, quæ ipsam etiam integram cupressinam caperet, arcam fabricari mandauit. In qua elaboranda, instar Beselehelis inspirati diuinitus, enituit industria excellentis opificis: qui veluti alterum cælum corpori, cuius esset in cælo anima, fabricans, thecam illam stellis auri fulgore micantibus exornauit. Est pretium eius quatuor millium trecentorum nonaginta duorum aureorum; in qua eiusmodi posita est foris inscriptio.

CORPVS SANCTÆ CÆCILIE VIRGINIS ET  
MARTYRIS A CLEMENTE VIII. PONT. MAX.  
INCLVSVM ANNO MDIC. PONTIF. VIII.

Intus vero in argentea lamina ab eiusdem tituli dicto sæpe superius Paulo cardinali presbytero totius rei gestæ series ita descripta fuit:

Inscriptio  
intra sepulcrum posita.

Hic requiescit corpus sanctæ Cæcilie virginis & martyris, quod a Paschali primo pontif. max. ipsa reuelante repertum, & in hanc ecclesiam translatum, & sub hoc altari vna cum corporibus sanctorum martyrum Lucii & Urbani pontificum, nec non Valeriani, Tiburtii, & Maximi reconditum, iterum post annos fere octingentos, Clemente VIII. pontif. max. cum iisdem sanctis martyribus lucem aspexit, die 20. Octobris, anno dominicæ incarnationis 1599. Cuius sanctæ virginis corpus prædictus dominus noster papa Clemens veteri lignea capsâ, in qua iacebat, argen-

tea inclusa, intactum, immutatamque hoc eodem loco, in quo fuerat collocatum, post peracta Missarum solennia maxima cum deuotione & lacrymis, toto spectante populo, reposuit 22. Nouembris, ipso festo virginis die, 1599. Ad cuius latus in alia seorsum capsula prædicti tres martyres Valerianus, Tiburtius, & Maximus requiescunt. Nec non sub ipso virginis corpore in alia similiter arca prædicti duo martyres ac pontifices Lucius & Urbanus, prout a Paschali pontifice omnes in iis conditi sunt.

Ego Paulus tituli sanctæ Cæciliæ sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis Sfondratus, cui licet miserrimo peccatori prædicta corpora, quæ diuturnitate temporis fere in tenebris iacebant, & inuenire, & videre, & venerari a Deo optimo maximo datum est, memoriam hanc hisce literis consignauit. Ista inscriptio in sepulcro posita. Cœptam vero iam historiam prosequamur: Interea vero cum idem summus pontifex incolumis rediisset e Tusculano, adiuit vna cum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus ipsam ecclesiam sanctæ Cæciliæ, vt eiusdem virginis atque martyris inuiferet ac veneraretur sacra pignora: vbi cum adesset, educto operculo cupressinæ illius capsulæ, venerandum quoque angelis sanctissimæ ipsius corpus iis quæ diximus (vt positum fuerat a Paschali pontifice) operatum velis vidit, & veneratus est; atque ei tunc quam sciret omni auro gemmisque esse gratiorem oblationem, preces obtulit, vna cum lacrymis oblationis cordis indicibus; nec non in honorem martyris incruentum Christi corporis sacrificium; reliqua solenniori ritu impleturus religionis officia, ipso qui proxime adesset die natali martyris. Ista tunc fuere oblata virgini digna tanto pontifice munera.

Sed eius plurimum in eo commendata modestia fuit, quod inuitatus licet, noluit reductis velis nudum virginis corpus quantumlibet exiccatum inspicere, cui esse videretur loco ruboris custodis verecundiæ virginalis, sanguis aspersus; satis ad fidem esse sciens, membra singula cognouisse per superposita vela, atque vidisse a prædecesfore inscripta sepulcro atque descripta diplomate signacula illa reperta, atque diuinitus conseruata. Veneratus est pariter posthæc sanctissimos prædecessores pontifices

Clemens  
papa inuifit  
inuentum  
corpus san-  
ctæ Cæci-  
liæ.

Modestia  
pontificis  
commen-  
data.

Vrbanum & Lucium, nec non Valerianum, Tiburtium, atque Maximum martyres in eadem confessione reconditos, tunc ipsi ad breue temporis spatium amoto operculo demonstratos.

Solemnis  
repositio  
sanctæ Ca-  
ciliæ cor-  
poris.

Vbi autem exoptata aduenit dies natalis eiusdem sanctæ Cæciliæ, ipse pontifex vna cum sacro senatu, ipso collegio cardinalium, præsto fuit, atque etiam celebri pompa, ritu solenni sacrosanctum Missæ sacrificium obtulit. Quo summa religione perfuncto, ministerio diaconorum adiutus, arcam illam argenteam iam antea consecratam, detulit in confessionem, in eaque cupressinam illam, quæ venerandum corpus virginis & martyris Cæciliæ continebat, consuetis adhibitis precibus, collocauit, atque intra lapideum monumentum vtramque ita simul compositam clausit. *Hæc Baronius tom. 9. anno 821. numero 13. & seqq.*

Obiit pontifex optimus anno Domini 1605. quinto Nonas Martii, cum sedisset annos tredecim, mensem vnum, & tres dies. Ad quartum Nonas Apriles sedes pontificia pastore viduata extitit.

CONCILIVM AQVILEIENSE  
PROVINCIALE, ANNO  
CHRISTI  
1595.

Celebratum anno Domini MDCVI. tempore  
Clementis papæ VIII.

INDEX RVBRICARVM.

- |   |   |
|---|---|
| I. De fide profitenda.  | XI. De vita, & honestate clericorum.                                    |
| II. De fide tuenda.   | XII. De seminario clericorum.   |
| III. De prædicatione verbi Dei.   | XIII. De visitatione.   |
| IV. De diuinis officiis.  | XIV. De festorum dierum sanctificatione.                                |
| V. De residentia episcoporum.   | XV. De reliquiis sanctorum.   |
| VI. De residentia curatorum.  | XVI. De ecclesiis, & pio in eis versandi modo, altaribus, & sacristiis. |
| VII. De residentia canonicorum, & beneficiatorum, qui residendi obligatione tenentur. | XVII. De bonis, & iuribus ecclesiarum tuendis.                          |
| VIII. De episcopis.   | XVIII. De vicariis foraneis.  |
| IX. De parochis.  | XIX. De monialibus.   |
| X. De dignitatibus, canonicatibus, & beneficiis simplicibus.                          |   |

ANNO  
CHRISTI  
1596.

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Nos Franciscus Barbarus, Dei & apostolicæ sedis gratia patriarcha Aquileiæ & princeps, de consilio & assensu reuerendissimorum coepiscoporum nostrorum in prouinciali Synodo Aquileiensi hæc statuimus, & sancimus.*

## I.

**E**x iis, quæ sacra Tridentina Synodus ad prouinciarum, ac dioceseon rectam gubernationem instituit & decreuit, ac prælati superioribus ad amissim exequenda præcepit, nihil fuit vel ipsa re sanctius, vel frequenti hostium incurfione opportunius, vel publicæ utilitatis ratione optabilius, quam vt sinceræ fidei nitor, quam ecclesia catholica Spiritu sancto edocta inconcussa veritate hactenus tenuit, ac tenet, in ipsa ecclesia conseruaretur, vt nihil irreperet, quod imbecilliorum animos concuteret; aut per calumniam inficeret, quos sinceritas commendarat; aut veri lucem, offusis tenebris, in dubium reuocaret; quod in primis ab illis professione eiusdem fidei conceptis verbis formata omnino faciendum decreuit, qui aliis vel præfecturæ ordine, vel tituli ecclesiastici ratione, vel disciplinæ officio præessent.

Vt autem a nobis cœptum, & a reuerendissimis suffraganeis prompte impletum, quod fuerat de profitenda fide Concilii Tridentini decreto sancitum; ita statuimus, quicumque in posterum ad easdem cathedrales ecclesias promoti fuerint, seu etiam translati, vel electi, aut postulati, illos in prima Synodo prouinciali post illorum promotionem & consecrationem futura ad professionem fidei emittendam teneri: aliter contra illos ex præscripto eiusdem Concilii procedi debere ac posse.

Prouisos de canonicatibus, & dignitatibus in ecclesiis cathedralibus non solum coram episcopo, seu illius officiali, sed etiam in capitulo profitendæ fidei obstrictos, & non parentes fructus suos non facere ex Tridentini Concilii decreto declaramus: quam dispositionem ad illos etiam canonicos ecclesiarum cathedralium pertinere dicimus, qui a capitulo ius conferendi certis mensibus habente prouisi fuerint.

Qui de ecclesiis parochialibus, seu curatis quibuscumque prouisi fuerint, intra bimestre tempus fidei professionem in manibus episcopi, vel eo impedito, coram eius vicario generali, quoties prouisi fuerint, facere omnino teneantur.

Ceteri vero omnes siue in præsentem, siue in futurum beneficia ecclesiastica habituri, & qui in Synodo diœcesana conuenire debent, in eadem Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, fidei professionem faciant: alias secundum formam sacrorum Canonum puniantur.

Decernimus autem in archiuis episcopalibus specialem asseruari librum, in quo professæ fidei fundamenta extent; cuius inspectione facile colligatur, quis muneri obsecundarit suo, quis partes suas deseruerit. Idem mandamus a capitulis ecclesiarum cathedralium seruari; si negligentius egerint, excitari; omnino ut faciant, prouideri.

Qui alios publice in vniuersitatibus, aut academiis docendi munus susceptum habent; quamcumque profiteantur scientiæ facultatem; debent hi quidem attente inspicere, ne specie doctrinæ, & ficta inuestigatione veri discipulorum animos perturbent, & sincerum illum scientiæ liquorem, quo mens discipuli alitur, veneno inficiant, & cupide haurientibus interitum afferant. Ac debent hi quidem omnes fidei professionem, antequam ad munus suum exercendum admittantur, emittere.

Qui philosophiam publice, seu priuatim, aut metaphysicam, & alias huiusmodi scientias docent, graui se promissi religione obligent, si quid proponendo, supponendo, disceptando, declarando, ex scientiarum principiis asseuerauerint, quod fidei catholice repugnet, perfecta disceptatione, quæ cum orthodoxa religione conueniunt, fideliter se ac sincere aperituros; ne quis minus sciens, aut animi imbecillioris homo, periculosi erroris obiecta specie in deteriorem sensum declinet; quod in Lateranensi Concilio sub Leone X. prouisum, cautumque est, constitutione incipiente: In apostolici regiminis; & imprimenda in fine harum constitutionum pro faciliiori eius publicatione: cuius etiam sanctionem, ubi studia vigent generalia, decernimus singulis annis in principio studiorum promulgari.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Qui in academiis publicis in quacumque scientia & facultate, aut priuatim domi suæ, aut alienæ, vel gratis, vel mercede constituta legunt: qui grammaticen, etiam illius principia, docent, arithmeticen, musicen, geometriam, & alias literarias & liberales artes, etiam in seminariis clericorum, præuia illorum de scientia, vita, & moribus cognitione, & approbatione fidem profiteri omnino in manibus ordinarii debent. Quod vt mature fiat ac diligenter, statuimus episcoporum prouinciæ nostræ solertia prouideri, aut proposito edicto publico, quo profitentes quascumque facultates, & liberales artes ad se euocent, aut præcepto parochis locorum factò, vt ad se quid hoc de genere habeant intra fines suæ parochiæ, quamprimum deferant; vnde prouisionis facultas ducenda erit.

Prædicatores verbi Dei, si sæculares fuerint, vel regulares, in ecclesiis non suorum ordinum prædicationes habituri, ab episcopo licentiam obtinere, atque ad id munus obeundum approbari iuxta Concilii Tridentini decretum debere reminiscantur. Quod si regulares in ecclesiis suorum ordinum sint prædicaturi, tunc eos personaliter se coram episcopo præsentare, atque ab eo benedictionem petere ex eo eiusdem Tridentini Concilii decreto factis fuerit. Verum tam ipsi sæculares, quam regulares prædicatores, nullo pacto ad prædicationes admittantur, antequam sæculares in manibus episcopi, regulares vero in manibus suorum superiorum regularium eandem fidei professionem emiserint.

Qui ad magisterii, aut doctoratus insignia tam in sacra pagina, quam in iure canonico & ciuili, aut artibus aspirabit, non ante promoueatur, quam in manibus ordinarii eandem fidem profiteatur.

Quæ omnia summario processu, quatenus episcopo sufficere videbitur, apud actuarios excepta cum testibus in archiuo episcopali seruanda erunt.

Si quis autem supradictorum quocumque prætextu, aut quæsito colore, fidei professionem facere neglexerit aut recusarit, nullo pacto ad munus suscipiendum, vel exercendum admittatur ab episcopo; cuius etiam erit animaduertere, an ii, qui fidei professionem emittere neglexerint, vel recusauerint, tales sint, de quibus ad sanctissi-

munum dominum, ex decreto Concilii Tridentini referendum esset. Si quis impedimento fuerit, quo minus dicta constitutio executionem habeat, de eo decernendum seuerè, quod iuris fuerit, statuimus.

## II.

Duo sunt, quibus præcipue catholicæ fidei veritas sustinetur ac munitur; quorum alterum ad veritatis sinceritatem & doctrinam pertinet; vt prædicetur, doceatur, declaretur: alterum cautionem respicit, qua veri dignitas, & fama a malorum artibus integra conseruetur; ne dormiente patrefamilias inimicus homo zizania superseminet, & messem corrumpat: quo hætenus pestilentia genere maximas & nobilissimas prouincias laborare lacrymabili exitio apud omnes cognitum est.

Vt igitur cælestis sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, in commune commodum eorum industria, & studio, quibus est dispensatio mysteriorum Dei commendata, impendatur, & veritatis appetentibus dispertiatur; sacri Concilii Tridentini decreta sequentes decernimus, vt sacra scripturæ lectio instituatur in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus, quamuis nullius diocesis. Si clericus ibi numerosus fuerit, præbendam quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacaturam, cui aliud onus incompatible non sit adiunctum; si nulla ibidem præbenda, præstimonium, aut stipendium ad munus huiusmodi deputatum sit; ad eum usum ipso facto constitutam, ac deputatam intelligi debere, episcopi decreto in theologalem commodiore, qua potuerit, ratione, erigendam, & personis idoneis, quæ munus obire per se possint, conferendam: aliter vero factam prouisionem nullam esse & inualidam.

Quod si nulla in ecclesiis sufficiens præbenda sit, per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii, supportatis debitis oneribus, vel per contributionem beneficiorum ciuitatis & diocesis, decernimus ab episcopo de capituli consilio prouideri, vt ipsa sacra scripturæ lectio omnino habeatur.

Præbenda vero huiusmodi non conferatur nisi clerico sæculari, & si videbitur ordinario, pro ecclesiæ utilitate per

concur-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

concursum, ei, qui ceteris sufficientia & doctrina excellat.

Si vero clericus secularis idoneus non reperiatur, cui præbenda theologalis conferri possit, statuimus, ne tantæ rei studium & lectio intermittatur, aut longiore tempore intercedente frigescat, quod diligentia & exercitatione flagrare debet; præbendæ theologalis proventus integros, dilata collatione, alicuius monasterii regularium priori, alii-ve superiori regulari attribuendos esse; qui regularem ex sua familia probatæ vitæ, ac doctrinæ seligat ad munus lectionis sacræ interim obeundum: lectori, quæ necessaria fuerint, attribuat: reliqua in monasterii commodum impendat.

Locum theologo, diem, horam, & lectionis argumentum episcopus præscribat & definiat, a lectione vacare spatio trium mensium Iulii, Augusti, & Septembris permittat.

Quæ tamen de theologo disposita sunt † in præcedenti † Supra c. 1.  
§. Ceteri; illa declaramus non comprehendere lectorem regularem, qui in defectum clerici secularis ad lectionem sacræ scripturæ suffectus est.

In monasteriis quoque monachorum, etiam Carthusianorum, vbi commode fieri queat, item lectio sacræ scripturæ habeatur: qua in re si abbates negligentes fuerint, episcopi locorum in hoc, vt sedis apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant, quemadmodum decreto Concilii prouide statuitur. In conuentibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacræ scripturæ lectio similiter haberi ex Tridentini Concilii præscripto debet: quæ lectio a capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus ministris. In gymnasiis etiam publicis, si hæctenus sacræ scripturæ lectio instituta non fuit, ad catholicæ fidei conseruationem, propagationem & defensionem quamprimum institui; & si instituta foret & negligeretur, restitui ex Tridentini Concilii decreto omnino debet; ne, si artium & scientiarum principia & documenta studiosè passim tradantur, vt nihil ad perfectam cognitionem desideretur, neglecta iaceant sacræ scripturæ studia, euangelici verbi pabulum, diuinorum eloquiorum maiestas, & promissorum cælestium amplitudo, quod est vnicum præsentis vitæ subsidium & futuri sæculi argumentum.

Concil. Tom. 36.

Ggggg

Ac ne specie pietatis disseminetur impietas, statuimus ad lectionis officium tam publice, quam priuatim obeundum non esse admittendum, qui prius ab episcopo loci de vita, moribus & scientia examinatus & approbatus non fuerit.

Satis vero non est, mentem innoxio cibo alere & sanitatem tueri, nisi arceantur malarum artium præstigiæ & pietatis importuna corruptio; vnde non fluxit modo morum & humanæ vitæ labes & omnium impuritarum colluies, sed catholicæ veritatis perpetua oppugnatio: est autem hæreson ea vis & natura, vt in omnes se partes, tamquam venenum, inferat, serpat longius, omnia inficiat & corrumpat. Si a morum cœpit impuritate, inuadit animos & perdit: si animo semel excepta, mentis fastigium occuparit, in omnem immanitatis speciem erumpit, omnia vastatione vexat & opprimit: quam vt a diœcesi & prouincia Aquileiensi pestem Deo iuuante arceamus, & nonnulla statuere decernimus diligentissime obseruanda.

Parochis igitur omnibus graui mandato per locorum ordinarios præcipiendum statuimus, vt singulis saltem annis in principio anni edictum de hæreticis denuntiandis promulgent, ac sæpe inculcent, quanto se piaculo obstringat, qui alieni sceleris, quod in communem perniciem dimanat, conscius, nec se murum opponit, nec morbum cuniculis progredientem, cum delatione posset, oppressit.

De librorum indice sanctissimi domini nostri mandato proximis mensibus edito, vt executioni accurate demandetur, suademus, percupimus, mandamus. Satis enim patet ex libris, tamquam ex venenatis fontibus, impurum fluere liquorem, quo animi vel nequiorum, vel imperitorum facile capi & imbui ad perniciem possint. Quia limites parochiarum distinctis finibus terminantur, & potest quisq; inter suos agnoscere, quid sit & quale, quod tractatur: statuimus per vniuersam prouinciam parochis omnibus indicendum, ac serio præcipiendum, si quid in sua parochia deprehenderint factò, dictò, scriptò, pictura, sculptura, etiam exercendi ingenii causa, quod sit contra certum ecclesiæ catholicæ sensum, aut suspensionem afferat rationabilem violatæ, seu infectæ religionis, aut scandalum oleat, ad sanctum officium deferant: Idem parochianos moneant suos vt facere studeant. Quod si ab hæreticorum, præcipue

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Teutonicorum prouinciis, vel loci vicinitate, vel mercatorum frequētia in fines parochiæ aliqui diuertere soleant, moneant parochi hospites, vt cibos in mensa proponant, qui temporibus conueniunt. Quod si compertum habuerint, ieiuniorum tempore carnes & vetitos cibos in hospitio parari; curent, vt ad sanctum officium, siue ab ordinario tantum, siue ab ordinario & inquisitore exerceatur, rem deferant; quod item facere non omittant, si nequam isti verba fecerint, & disputationem instituerint de hæreseon, quas tenent, qualitate, aut libros hæreticos quacumque lingua conscriptos attulerint, & in hospitio aliis legerint, aut legendos tradiderint: de quo monendi prius erunt hospites; qui si supina negligentia vel lucri cupiditate catholicæ veritatis dignitatem posthabuerint, & contumeliis intra suos parietes proscindi pertulerint, non effugient manum Domini, & grauissime etiam tamquam scelere obstricti immani, a sancto officio inquisitionis plectentur.

De ciborum communium vsu, cum certorum dierum, ac temporum prohibitio non obstabit, moneant parochi suæ parochiæ hospites, vt nihil in gratiam vel Iudæorum, vel infidelium separatim superstitiose coquant, ne fiant sceleris participes, qui nomine & pietatis studio se alienos profitentur.

Quia vero nulla in re subest periculum pene maius inter nos, quam librorum hæreticalium vsu, nec alia magis parte hæretici obesse student, quam librorum corruptorum suppositione, quos apte per dolum inter probatos etiam colligare student, vt emptionem eludant & emptorem in fraudem inducant: statuimus, bibliopolis omnibus in tota prouincia graui præcepto inhibendum, ne in posterum libros aliunde adductos tam colligatos, quam solutos, venales proponant, nisi auctores illorum inuentario integro comprehensos ordinario, seu patri inquisitori loci exhibuerint; atque ille subscriptione, vt vendi possint, concesserit, contra facientes seueriori animaduersione pro modo culpæ decernimus plectendos.

Qui libros prohibitos scienter tenuerint, contra illos pro librorum qualitate procedendum statuimus, iuxta indicem nuper editum.

Magistratus autem sæculares enixe in Domino rogamus,

Concil. Tom. 36.

Ggggg ij

vt si quid opus illorum auctoritate & subsidio ad fidem catholicam tuendam fuerit, pie, prompteque exhibeant, & officii dignitatem cælestibus cumulare meritis non omittāt.

Vt autem contra hæreseon pestem omnia medicamenta tam necessaria, quam opportuna adhibeamus, in tota prouincia termino mensis post præfatorum decretorum confirmationem statuimus, publicandam esse constitutionem Pauli papæ IV. contra negantes Trinitatem, aut diuinitatem Iesu Christi, & alteram constitutionem Pii quinti contra offendentes statum, res, & personas officii inquisitionis hæreticæ prauitatis.

Pueros ætate imbecilla diuersari inter hæreticos summe periculosum, nisi debitis, ac necessariis præfidiis pietatis muniantur. Idcirco præcipimus in tota prouincia Aquileiensi ab episcopis diligenter seruandum, moneant, vt patres, qui filios, aut alios quoscumque ad partes hæreticorum, mercimonii, vel addiscendæ linguæ causâ mittere deliberarint, prius ad se adeant, & filios, seu consanguineos, aut alios quoscumque illo mittendos, secum adducant, vt episcoporum monitis ætas illa salutaribus munita & confirmata facilius irrepentis morbi pestem declinet, aut auertat & reiiciat.

Mercatores autem & artifices, qui lucri causâ peregrinantur in longinquas regiones, quas hæretici frequentant, artificiolo etiam circumlato, curent episcopi, ne discedant benedictione episcopali non petita: quæ maxima erit contra dæmonis artes & fallacias medicina. Si paschali tempore aut illi proximo ad nundinas proficiscantur, indicant, vt vel ante discessum, vel statim post reditum, confessionem peccatorum faciant, & sacram communionem percipiant. Si quid fuerit hoc de genere prospiciendum, hoc prospiciant & curent.

### III.

APOSTOLIS præcepit Dominus, vt euntes in mundum vniuersum prædicarent euangelium omni creaturæ, atque hoc præcipui muneris officium, quod apostolis commendauit; nobis, qui in apostolicum ministerium Dei prouidentia disponente suffecti sumus, intimaui. Ac vt prouida pastoralis cura debet prospicere, vt sit, qui petentibus panem frangat paruulis; ita si legitimum non obstat impe-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

dimentum prædicationis onus subire nos ipsi episcopi debemus: ac interim vrgere ceteros, qui officii obligatione tenentur, vt idem faciant, & pabulum salutis populo præbeant: nisi enim hoc præstiterimus, quod fuit in omni temporum varietate primum in ecclesia, & singulare fidei firmamentum; vltionem apud Deum, & homines, quam sacri Tridentini Concilii sanctio præscripsit, & intimauit, non effugiemus. Vt autem reliquis officio, dignitate, potestate anteimus, ita exemplo, & muneris executione præluere debemus. Si legitimo episcopi laborant impedimento, idoneos eligant, qui vices illorum subire, ac sustinere, & populos cælesti alimento pascere queant; ne defit gregi pabulum, quo vita spiritualis conseruetur; nec pastor, qui pabulum suppeditet, & vitæ gregis consulat.

Curent episcopi, vt archipresbyteri, plebani, & quicumque parochiales, vel alias curam animarum personarum sæcularium habentes ecclesias quocumque modo obtinent, iidem per seipsos, vel per idoneos substitutos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, & festis solennibus munus obire studeant, vt plebes sibi commissas pro sua, & illarum capacitate pascant salutaribus verbis: quæ omnibus necessarium est scire ad salutem, doceant; vitia, quæ declinent, virtutes, quas sectari oporteat, ostendant, & declarent; atque id non modo in ecclesiis, quæ sunt in diocesi, quouis modo exemptis, etiam alicui monasterio, quod sit extra diocesim, vnitis, seu annexis; sed in personas, quæ ab episcopi iurisdictione se quauis ratione prætendunt exemptas, exequi & efficere omnino studeant.

Ac vt vix nihil in hoc genere fieri potest, in quo non videatur aliqua adhuc diligentia desiderari, si publica respiciatur vtilitas, & vel excitandæ, vel conseruandæ deuotionis ratio perpendatur; ita præter quadragesimæ, & aduentus dies, omnibus etiam dominicis, & festis anni, vehementer cupimus prædicationem verbi Dei in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus fieri, vt ex sacra scripturæ fontibus ad spiritualem populorum ædificationem hauriatur quod ad vitæ Christianæ disciplinam, ad boni studium, & contrariorum declinationem deriuari apte possit.

Sapientibus, & insipientibus debitores sumus, nec personam hominis respicit Deus, sed cor intuetur, & cui vo-

luerit, dat gratiam: at vero ad pastorem sollicitudinem pertinet rationem illorum, qui in saltibus degunt, & silvas colunt, & in vallibus habitant, haberi, ne animo siluescant, vt habitudine corporis, vestium asperitate, & locorum situ; sed in iis, quæ ad principia fidei pertinent, quæ possunt via capere, instituantur, & pietate aliqua imbuantur: idcirco statuimus ab episcopis diligenter prouidendum, vt vel diocesana Synodo, vel modo alio, qui opportunior videbitur, adhibito clero, ac de illius consilio rationem ineant, qua viros probatos, & ad obeundam prædicationem idoneos statis temporibus emittere in prædicta loca possint, vt populos agrestes opportune congregatos paternis monitis, ac pietatis aliqua eruditione instituant, ne episcopi apud Deum negligentia arguantur, si populorum salus periclitetur.

Regulares cuiuscumque ordinis, si a suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, cum illorum licentia, etiam si in ecclesiis suorum ordinum prædicare affectent, coram episcopis personaliter se præsentent, & ab eis benedictionem petant, antequam prædicare incipiant. In ecclesiis tamen, quæ suorum ordinum non sunt, vltra licentiam superiorum suorum etiam episcopi licentiam vltra examen, si episcopo videbitur, habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis nullo modo prædicare permittantur. Licentiam vero scriptis debent episcopi gratis concedere.

Inoleuit abusus, vt prædicatores regulares obedientias suas per internuntios episcopi, mittant pro licentia, seu benedictione respectiue obtinenda, accedere ipsi personaliter omittant, quem abusus tollentes decernimus, non esse omnino permittendum in tota prouincia, vt ad suggestum prædicationis causa ascendat, qui in adscripta obedientiis licentia, seu benedictione non ostenderit, personaliter illos ab episcopo licentiam, siue benedictionem obtinuisse.

De prædicationis argumento, & prædicatoris munere; cum ad ostentationem, & inanem aurium oblectationem, & curiositatem trahi cœperit verbi Dei prædicatione; moneari prædicatores serio volumus. Quia tamen locus iste non patitur, vt rem enucleate tractare possimus, reuerendissi-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

mos coepiscopos suffraganeos nostros enixe rogamus, vt singuli post actam Synodum aliquid de hoc genere conficere studeant, quo prædicatorum monitiones, & obseruationes comprehendant; pro fine cuique proponatur gloria Dei, & salus animarum: pro medio, non curiosiores quaestiones, & oblectamenta verborum auribus prurientia: quod facile assequemur, si pro argumento fuerit, Christum prædicare crucifixum, Dei virtutem, & Dei sapientiam; a sacratissimis enim crucifixi Christi vulneribus, cruce, & morte, diuinæ virtutis supereminentiam, & voluntariæ passionis, quam pro redemptione mundi subiit homo factus, acerbiter, & caritatis excellentiam cognoscimus, & prædicamus. Vnde ad populorum institutionem duci potest, & pene sub oculos poni, Conditoris maiestas, Redemptoris benignitas, Patris misericordia, iudicis feritas, æternæ vitæ per diuinorum præceptorum obedientiam felicitas, & sempiternæ damnationis propter præuocationem confusio. Quæ docentur in academiis, & discipulantur in scholis, & inter scholasticos agitantur, sint inter illos, qui ingenia exercent, & animos acuunt: in prædicatione instituantur fidelium mentes, & studio pietatis vocentur ad mandatorum diuinorum obseruationem, vt virtutes Christianas colant, vitia declinent, & ad futuræ vitæ præmia implorato Dei auxilio contentis studiis aspirent.

Quæ si prædicatores neglexerint, & moniti obseruare contempserint, episcoporum diligentia, & sollicitudo curabit, vt populorum piæ instructioni, & animarum saluti omnibus modis consulatur.

IV.

Diuina officia veteri sanctorum patrum instituto, ordine, & horarum numero, ad omnipotentis Dei nomen colendum, & inuocandum disposita, quorum celebritate, & frequentia in militanti ecclesia triumphantis figura, tanquam exemplaris imitatione exprimitur; ita decet tractari, vt cordis mundities adsit, moderatus, & pene ecclesiasticus corporis cultus, index plerumque illorum, quæ sunt in animo, non desideretur: deuotio autem, & quædam compositio actionum sacrarum non absit.

Eminet autem inter omnia, quæ in sacris habentur mysteriis, & actionibus, Missæ sacrificium, & rei dignitate, & sa-

cerdotis præstantia, & fructus excellentia: Dominus enim noster Iesus Christus vnigenitus Patris, candor æternæ lucis, & figura substantiæ illius, portans omnia verbo virtutis suæ, tamquam sacerdos constitutus a Deo secundum ordinem Melchisedec in æternum, cum ingrederetur in sancta sanctorum per sanguinem suum, semel se ipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri obtulit in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, vt repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis. Hoc vero sacrificium, quod semel cruento oblatum est, & memoria, ac repræsentatione in ecclesia frequentatur, & vsque in finem sæculi permanebit, cuius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, applicatur, quanta deceat spiritus innocentia, reuerentia, metu, humilitate tractare, res ipsa indicat, ipsa loquitur, & contestatur.

Episcopus autem, qui ceteris antecellunt dignitate, & officio, toti anteire clero decet mysterii huius frequentatione, ac Missæ celebratione; vt enim statis solennitatibus episcopos pontificales Missas agere conuenit, diebus præsertim quibus præstantiora in ecclesia mysteria Dei celebrantur, nec omittere, quod ab officio exquiritur, & episcopali dignitati certa ecclesiæ obseruatione impositum est; ita optandum, vt reliquis festis anni, & feriatibus etiam diebus frequenter, & publice, legitimo non obstante impedimento, Missæ sacrum faciant: inde fluent fructus admirabiles ad suscipientium mentes, ad inferiorum exemplum, ad populorum subsidia spiritualia

Qui ecclesias curatas obtinent, debent hi quidem festis omnibus diebus, & reliquis, tam frequenter, vt muneri suo satisfaciant, Missas celebrare: in quo si defecerint, statui-  
mus episcoporum vigilantia, ac studio, poenis etiam propo-  
sitis, ac, si necesse fuerit, infligendis vrgeri; vt, quo fuerint  
negligentiores, opportunis remediis eo accuratiores fiant.

Qui ad sacerdotium promoti sunt, & impedimento non laborant legitimo, quo minus Missam celebrare valeant, decernimus episcopi diligentia curari, vt diebus saltem dominicis, & festis solennibus celebrent; multo vero diligentius, si beneficium etiam simplex habeant, cuius causa sacrum facere teneantur.

In

ANNO  
CHRISTI  
1596.

In celebratione Missæ, etiam edicto, & pœnis propo-  
sitis, episcopi caueant, ne sacerdotes aliis quam debitis ho-  
ris celebrent, neve ritus alios, aut alias ceremonias, & pre-  
ces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ  
ab ecclesia probatæ, & frequenti, ac laudabili vsu receptæ  
sunt. Quarumdam Missarum, & candelarum certum nu-  
merum, qui magis superstitioso cultu, quam vera religione  
inuentus est, omnino ab ecclesia remoueat.

Auaritiam, quæ est idolorum seruitus; irreuerentiam,  
quæ ab impietate non abest; superstitionem, falsam pieta-  
tis imitatricem, ab ecclesiæ agro radicitus euelli conuenit:  
tractentur sacra interiori cordis munditie, & puritate, &  
exteriore deuotionis, ac pietatis studio: pestis vero illa, quæ  
diuturna rerum corruptione vsque ad tremendam Domini  
mensam peruenit, & sancta pene inuasit; erit sedulitatis  
episcopalis curare, vt longissime abigatur.

Debent vero, ne dispar appareat, & incomposita cele-  
brantium actio, diligenter episcopi prospicere, vt quam-  
primum in ciuitate per præfectos ceremoniarum; extra ci-  
uitatem per archidiaconos, seu vicarios foraneos, reuidean-  
tur, & examinentur sacerdotes super modo, & actione ce-  
lebrandæ Missæ; & quæ fuerint corrigenda, corrigant: vt  
redigatur omnium & singulorum celebratio in eam for-  
mam, in qua nihil dissimile, nihil difforme appareat: & vna  
sit inter omnes celebrationis ratio, vt est vna Missalis, & ru-  
bricarum ad sacrum faciendum præceptio. Contumaces,  
& inobedientes pœna coercendos esse debita declaramus.

Ac in primis decernimus in sacerdotum consecratione  
animaduertendum, vt illi ad Missam celebrandam acce-  
dere minime permittantur, antequam a præfecto ceremo-  
niarum de tota actione examinati & probati fuerint. In  
Missis autem nouis, quod ad auaritiæ labem pertinet, im-  
portunas, & illiberales eleemosynarum exactiones po-  
tius quam postulationes, aliaque huiusmodi, quæ a simo-  
niaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, om-  
nino ex Tridentini Concilii decreto prohibemus, & per  
episcopos prohiberi mandamus.

Priuatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, &  
ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria ab ordina-  
riis designanda, & approbanda, nec non altaribus, quæ sub

dio aut porticu ecclesiæ sunt, & in Missali non edito a Pio V. celebrari Missas nec suadet ratio, nec pietas patitur, ita episcopi faciant, & exequantur.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Vt autem Missas, quæ in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis celebrantur, decet hora conuenienti, & statuto ordine ad publicum ciuitatum, & locorum commodum celebrari seruato rotulo, quod in omnibus omnium ecclesiarum sacristiis conseruari debet; ita in parochialibus opportuno tempore, non ad aliquorum instantiam, sed communem piorum consolationem celebrandæ erunt. In omnibus cathedralibus, & collegiatis insignibus ecclesiis, decernimus, vbi non est punctator ad Missarum defectus notandos, quamprimum episcoporum diligentia constitui, cuius munus sit, diem, & defectum notare, & ex parte pœnarum, quæ exigentur, Missarum defectus supplere, reliqua in sacristiæ, vel ecclesiæ ornamenta impendere. De parochiorum defectu inuestigent diligenter archidiaconi, seu vicarii foranei intra fines attributæ regionis; & si corrigi facile poterunt, corrigant; sin minus, ad episcopos deferant, vt adhibeatur medicina, quæ sanare morbum possit.

Peregrinos, seu alienæ diœcesis sacerdotes in prouinciam Aquileiensem, nec ad Missam celebrandam sine commendatitiis proprii ordinarii ex Tridentini Concilii decreto non esse admittendos decernimus.

De Missa conuentuali, quæ celebratur in ecclesiis cathedralibus, seu collegiatis, quia multa sunt, quæ distinctionibus egent, & declarationibus, vt apte decernantur: agendum putamus primum de quibusdam, quæ ad collegia, seu capitula ecclesiarum spectant; ac de chori disciplina, & ordine; postremo etiam de Missa conuentuali, vt ex hoc capite aliquid ducatur, quod ad ecclesiasticam disciplinam conformandam pertinere potest.

Ecclesiasticas vniuersitates, seu capitula ecclesiarum tam cathedralium, quam collegiatarum, quæ tamquam corpus membris apte compactum, & coagmentatum, motu agi, & tamquam spiritu vigere necesse est; sine ordine, quæ illarum vita est, & legibus, quarum vi aluntur, & conseruantur; stare nemo posse affirmabit: est tamen in ipso statu defectus, & inclinatio quædam rerum; dum, quæ ante constituta fuerant, pro temporum qualitate & varietate mutatio-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

nem desiderant; & quæ sæculis præteritis opportuna habebantur, nunc pernicioſa ſunt, & nouarum constitutionum diſpoſitione tolluntur. Hanc ob cauſam ſtatuiſmus ſingulorum capitulorum tam eccleſiarum cathedralium, quam collegiatarum ſtatuta, conſtitutiones, & conſuetudines, quæ tamen a ſede apoſtolica non fuerint confirmatæ, quamprimum ab epiſcopis propriis examinari accurate debere; vt ex ſtatutis, & conſtitutionibus, ſeu etiam decretis capitularibus, illa, quæ deſuetudine obſoleuerunt, decerpant; quæ præſentis temporis vſu perſeuerant, vnum in corpus redigi curent: iſta vero etiam, quæ retinentur, reuideant, & perpendant, ne ſint contra iuris ordinem, aut ſacri Concilii Tridentini decreta, aut pontificiarum conſtitutionum ſtatuta, & ita corrigant, vt varia quadam ſimilitudine conueniant; & ſi quid aut vltra ius commune ſit, aut præter, apte conſentiat, & quaſi concentum, qui ex diuerſis numeris, & modis conſtat, efficiat.

Conſuetudines etiam ſcripto exceptas perpendi decernimus, an rationabiles & honeſtæ ſint. Si qua declinarit a ratione, & contra iuris ordinem emerſerit, & abuſu confirmata iniuſtam legis ſpeciem uſurparit; tolli de medio præcipimus: quod erit proprium epiſcoporum munus, vt in ſuis eccleſiis curare ſtudeant: ſatis enim conſtat abuſu, quo inueteratior eſt, eo facilius adulterina ſpecie honeſta omnia corrumpi.

His poſitis fundamentis epiſcopi partes erunt, cauere ne quid in capitulorum congregationibus aut proponatur, aut recipiatur, quod ſit contra ius expreſſum, aut ſacri Concilii Tridentini ſtatuta, aut conſtitutiones pontificias, propoſita pœna proponentibus, præter pœnam nullitatis quorumcumque actorum. Quod in ſua diœceſi quiſque pro opportunitate ac etiam neceſſitate locorum, & rerum particularium inſpectione præſtare, & efficere commode poterit, ac debet.

In humanis, vt bene omnia conſentiant, ſi ratio quædam conſtans deſideratur, qua particularia metiri, & moderari poſſimus; multo quidem iuſtius in ſacris & diuinis debet eſſe certa quædam agendorum norma, illaque non arbitrio ſubiecta, ſed lege conſtanti comprehenſa, vt ſit certa \* vnitate potius, ſimilitudine conformata, quam ſe-

\* aliquid  
deſſ.

Concil. Tom. 36.

Hhhhh ij

quantur omnes. Quamuis autem Pii V. constitutione de Romano breuiario edita cautum sit, vt, qui supra ducentos annos proprium habent officium, vti eo possint, nec debeant compelli vt horas canonicas de breuiario Romano recitent, tamen ratio peragenda sacrae rei, & illa, quae tantopere Deo placet, consensus vniformi ritu recepta, maxime suadet, vt in Aquileiensi prouincia statuatur vnica laudes Deo canendi, & sacra obeundi officia forma. In nostra metropolitana ecclesia Aquileiae de proprio breuiario canebantur superioribus annis canonicae horae, & erat proprium etiam Missale, atque alibi proprii adhibebantur in dioecesi nostra quidam ritus antiquissimo vsu recepti: at vetera, quae non omnino sincera comperta sunt, & pene desuetudine collapsa, recesserunt, & iam noua sunt omnia. Sanctam Romanam ecclesiam magistram, & matrem agnoscimus: hanc, vt in reliquis, etiam ritu, & ministeriis ecclesiasticis modo sequimur: vix enim fit in huiusmodi particularibus ecclesiarum, aut locorum officiis, quin aut apocryphum aliquid, aut erroneum deprehendatur. Decernimus igitur, vt in tota Aquileiensi prouincia, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus, & aliis quibuscumque tam publice, quam priuatim, in posterum horae canonicae ex breuiario Romano sub Pio V. edito recitentur; ac declaramus recitantes obligationi recitandi horas minime satisfacere, nisi de breuiario Romano illas recitarint: quod item decernimus in Missali, rituali sacramentorum, & aliis obseruandum. De sanctis, qui apud certos populos in veneratione sunt, declaramus intelligi, vt festos dies sanctorum patronorum, tam prouinciae, quam ciuitatum, & titularium ecclesiarum celebrare solenni etiam ritu liceat.

Qui Illyricam oram colunt episcopi, in qua breuiarium, & Missale lingua Illyrica in vsu habetur, curent vt illa diligenter adhibitis doctis, & piis viris, qui linguam illam calleant, reuideantur & emendentur. Oprandum tamen esset, vt episcoporum Illyricorum diligentia sensim Romani breuiarii vsus cum Missali item Romano, & rituali sacramentorum induceretur: quod efficere pro eorum pietate ac prudentia non erit summopere difficile, si iuniores clericos, & ex seminarii scholis selectos, qui studio,

ANNO  
CHRISTI  
1596.

& ingenio magis proficiunt, exercere sensim cœperint, & ad opus hoc pium studiosè promouerint. hæc in optatis. executio præscribi non potest: præscribet autem prudentia illorum, & singularis in Deum pietas. Satis erit, si sibi persuaserint, quod passim experimur in librorum Latinorum & Italicorum lectione, illos libros mendis scaterere, multo vero plures probabili coniectura errorese esse in illis, quam in nostris, quos quamplurimi legunt & iidem emendant: illos autem pauci & illiterati, qui corrigenda diiudicare non norunt.

Quæ autem de breuiario, Missali, & rituali sacramentorum statuimus, in eam volumus partem accipi, vt non comprehendant catechismum Romanum in Illyricam linguam Gregorii XIII. iussu (quod est ad nos per certos homines allatum) conuersum: quem cupimus a clero Illyrico frequenter tractari & legi, vt sit hæc materna lingua sacerdotibus Illyriæ in promptu ad populos docendos, quæ ad salutem necessaria sunt. Curent tamen episcopi, vt exemplar aliquod eiusdem catechismi emendatissimum in archiuo episcopali reponatur, ad cuius præscriptum emendatio recognosci & approbari in futurum tempus possit, cum illa, quæ catechismo comprehenduntur, vel de articulis fidei, ac sacramentis tractatur; periculose alterius linguæ ignorantia, seu impressorum vitio pateant, periculosus vero nequitia hæreticorum; quorum corruptio, nisi ab episcopis, qui prouinciæ illius linguam non norunt, parato remedio conuinci possit, longius dimanabit.

Locus corruptus.

Vt autem Illyricis populis prospiciendum est, vt verbi Dei pabulum, quod ex prædicto catechismo curati haurient, habere possint; ita etiam curandum, vt caput primum de reformatione matrimonii ex Concilio Tridentino cum impedimentis matrimonii & declaratione temporum, quibus nuptiæ prohibentur, habeant in linguam Illyricam conuersum: idemque semel in mense promulgare & declarare populo dominicis diebus post prædicationem verbi Dei parochi curent. Idem de doctrina Christiana illis gentibus tradenda omnino statuimus: quod episcoporum vigilantia & religioni serio committimus & commendamus.

Non est in ecclesia Dei, in qua perficiendæ naturæ per

H h h h h iij

gratiam Dei viget ratio, non est vacuum si in puris naturæ terminis non est: nec est dignitatum, aut officiorum institutio otiosa, vt species ostendet quod actus non efficit: nec residere, aut interesse iuxta sinceram, & rectam Canonum intelligentiam censentur, qui interessendo nihil eorum quæ ad suum pertinent officium exequentur. Proinde cum dignitatum & canonicatum institutio ad ministeria ecclesiastica & sacra facta sit, vt obtinentes illa obire debeant non modo in psalmodia, (vt in choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distincte, ac deuote laudent;) sed etiam in aliis: diuina vero per se, & non per substitutos officia subeant; decernimus per episcopos in tota prouincia diligenter curandum, vt pietate, ac diligentia vigeant, quo ista aliquando prompte exhibeantur: inobedientes ac pertinaces distincte cohibeant, & emendent.

Sicubi tam in cathedralibus ecclesiis, quam in collegiatis insignibus præbendæ canonicales hætenus per attributos ordines distinctæ non fuerunt, præcipimus, episcoporum diligentia, (licet ex quotidianis tantum distributionibus constent,) quamprimum adhibito capituli consilio distingui, vt in cathedralibus dimidia saltem pars presbyteri sint; ceteri vero diaconi, & subdiaconi; in cuius distinctionis partitione æquum est seruari, vt præbendis iis, quæ vberiores habent redditus, maiores etiam ordines attribuantur; in ecclesiis vero, vbi est consuetudo, vt præbendæ omnes sacerdotales sint, hoc idem conferuetur.

Ordinibus autem distinctis, præter hebdomadæ ordinariæ obligationem feriatis diebus per idoneos substitutos obeundam, festis maioribus celebrante in pontificalibus prælato, canonici diaconi, & subdiaconi seruato ordine præbendæ suæ onus per se ipsi sustineant. Decani vero, & qui priores in ecclesia dignitates post pontificalem obtinent, solennioribus diebus prælato absente, siue impedito, conuentualem Missam celebrent. In nocte autem, & aurora natiuitatis Domini non permittatur vt alius celebret Missam conuentualem, qui non sit canonicus.

Ad episcopos autem decernimus pertinere ordinem, vbi iam non est, certis quibusdam regulis instituere pro prædictis tam festis maioribus, dominicis, & aliis per an-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

num, quam in vnaquaque hebdomada obseruandis; pœnam etiam adiicere, & fabricæ, seu pio alicui loco applicare.

Ex duobus, quæ pertinent ad cultum diuinum sustinendum, quorum alterum respicit absentias illorum, qui residere in cathedralibus & collegiatis tenentur; alterum pertinet ad diuinorum officiorum celebrationem: primum satis certum, exploratumque proponimus, vt obtinentes in cathedralibus ecclesiis, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones cuiuslibet statuti, consuetudinifve vigore, nullo modo vltra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno absint, saluis ipsarum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius seruitiis tempus requirunt, sub pœnis a sacro Tridentino Concilio præscriptis. De secundo, quod ad debitum diuinis officiis regimen spectat, de congrua canendi & modulandi ratione, de certa lege in chorum conueniendi & permanendi, simulque de omnibus ecclesiæ ministris, ac tota chori disciplina, cum arduum sit particulatim decernere, quod ad vniuersam apte possit prouinciam acomodari propter varios diuersarum diœceseon ritus & statuta: singulorum reuerendissimorum episcoporum suffraganeorum nostrorum diligentiam excitamus, vt quisque ex suarum ecclesiarum obseruationibus meditetur, & spatio sex mensium a die dimissi præsentis Concilii numerandorum aliquid conficiat, quod putet præcipue disponi posse ad cultum diuinum conseruandum, & augendum, & omnes totius prouinciæ ecclesias communi disciplina conformandum; quod singuli effecerint, si cum singulis diœcesibus & ecclesiis conferatur, vt Deo fauente demum constet aliquid, ex quo possit elici vniuersæ prouinciæ communis diuinorum habendorum norma.

His quæ studiose collegerint, adiiciant remedia, quæ vel vsu fuerint recepta, vel ad vsum accommodanda.

In cathedralibus & insignibus collegiatis ecclesiis vt numero & ordine ministrorum, augusta quædam rerum series, qua mirifice assistentium animi capiuntur, proponitur, quæ nisi præceptione regatur & certa lege moueatur, incomposita specie & summa deordinatione confusum aliquid efficit, quo nihil fit videnti turpius, aut molestius; ita curandum vt sacra & diuina certo ordine præfecto aliquo

ceremoniis ecclesiasticis constituto peragantur, quod vt in omnibus prouinciæ cathedralibus & collegiatis insignibus ecclesiis in promptu habeatur, decernimus ex mansionariis, vel capellaniis, quæ onus residendi in eisdem additum habent, primo quoque tempore vacantem in præfecturam ceremoniarum ecclesiasticarum institui, & de ea perpetuis temporibus prouideri aliquem, qui in huiusmodi studio versatus sit, & actorum ecclesiasticorum directionem & sacrorum dispositionem sustinere pro dignitate intelligat.

Pœnitentarios in ecclesiis cathedralibus & insignibus collegiatis ad piorum consolationem & lapsorum spirituale subsidium in promptu esse decet: idcirco episcopi pœnitentiarium cum vnione præbendæ proxime vacaturæ ad præscriptum Concilii quamprimum instituant.

Qui in ecclesiam ad laudes Deo persoluedas ex clero conueniunt, quo ceteris officio, vel dignitate præfunt, eo debent accuratius exequi, quæ sibi sunt ratione officii adiecta; ipsi vero diligenter intendant & intelligant, se chori interessentia ita adstrictos, vt salua non possint conscientia temporale, quod ex distributionibus percipitur, commodum assequi, nisi diuinis rite seruierint & ministrarint. Si quis igitur, dum diuina peraguntur officia, in choro canonicus, seu mansionarius, aut aliquis alius quocumque censeatur nomine clericus, quacumque sit præditus dignitate, cum superpelliceo, aut etiam sine, per ecclesiam diuagari, colloqui, literas legere, aut alia tractare non omiserit, eum decernimus (licet postea in chorum ascenderit) omnino absentem reputari pro matutino, vel horis diurnis, vel vespertinis, quibus prædicto modo deliquerit. Punctatori vero districtè præcipiant episcopi sub pœna suspensionis, vt ex officio tales punctent, ac toto illarum horarum lucro priuatum in libro suo notent. Quod idem ad alios extendi decernimus, qui in stallo non suo permanferint in choro, dum diuina celebrantur.

Quia vero licentia & abusu factum, vt sero in chorum accedant, qui tempestiue interesse deberent; ac nisi certa aliqua regula præstituatur, inconuenientia in dies augeri singulos dubitandum: decernimus eos, qui in matutinis in chorum ascenderint post finitum primum hymnum; in  
horis

ANNO  
 CHRISTI  
 1596.

horis diurnis item post hymnum : in Missa post confessionem : in vesperis post completum psalmum, pro interessentibus non esse habendos, sed lucris & distributionibus dierum & horarum prædictarum, quibus in chorum tempestiue non ascenderint, omnino mulctandos. In quo episcoporum diligentiam excitamus, vt serio agant, & pœnis punctatores suarum ecclesiarum ad præfati decreti executionem omnino adigant; quod declaramus non obtinere locum, cum episcopus in chorum ad diuina officia ascenderit: hoc enim casu decernimus quoscumque seruitio chori adstrictos, cuiuscumque dignitatis & officii sint, in principio diuinorum officiorum interesse debere. Qui postquam episcopus iam confederit, in chorum venerit, eum declaramus illarum horarum lucro omnino damnandum.

Quæ vero in diuino cultu peraguntur, quia loco indigent apto & commodo, vt etiam cum dignitate peragantur, præcipimus omnibus & singulis episcopis, diligenter curent & omnino intendant vt chori ecclesiarum, præcipue cathedralium, aut etiam collegiatarum insignium (vbi non sunt) ita extruantur, seu reparentur, vel etiam aptentur, vt res fieri sacra disposita commoditate & cum dignitate possit: ad quæ perficienda excubabunt episcopi, & quos necesse erit, etiam opportunis remediis contento studio compellent.

Vt absurdo, quod alicubi viget, occurratur episcopali vigilantia, decernimus, eos, qui ratione vel mansionariæ, vel capellaniæ perpetuo chori seruitio in ecclesia cathedrali, seu collegiata sunt addicti, & solennibus diebus, aut etiam festis, quibus episcopus in ecclesia diuinis interest officiis, ad alias ecclesias se conferunt lucris causa, negligentes quod minus est, vt maius acquirant, cum dedecore ordinis, & ecclesiæ cui sunt adscripti, iniuria, irremissibiliter lucro totius distributionis illius hebdomadæ, in qua deliquerint, plectendos esse: quod si sæpe idem in hebdomada commiserint, statuimus per episcopum ita prouideri debere, vt corrigatur omnino peruicacia, clericalis modestia reformetur, & ecclesiæ seruitium debitum conferuetur.

V.

ECCLESIASTICI summa gubernaculi est gloria Dei & salus animarum: vtrumque diligenter tractandum, cum

Iſa. 21.

negligentia in re tanta maledicti piaculo subiiciatur. Vt autem diligentia in agendis rebus etymo quodam vocis dilectionem & caritatis notam primis literis inſcriptam habet, ita quæ floccifacimus, etiam negligimus: ac exhibitio operis, probatio eſt dilectionis. Episcopos autem, quos in ſpecula Dominus conſtituit, vt gladium venientem proſpicientes tuba canerent & populos monerent, ne ſanguis pereuntium de manibus illorum requiratur; ſi gregem amant dominicum, probare dilectionem opere decet: ſi vigilantia & cuſtodia ſollicitudine laborant, hoc putent, quod ſocordia perdiderint, ſe diſtricta ratione reddituros. Duo autem requiruntur in paſtore gregem cuſtodiente; vt interdum ante gregem incedat, ipſe vnus ad paſcua educens, cuius vocem agnoſcunt oves, quæ alienam non nouerunt: nocte vigilias agat, cui dicitur: *Cuſtos quid de nocte?* ac ne repente in gregem irrumpant lupi, canes ad cuſtodiam adhibeant, illos quidem non mutos, ſed qui latrare valeant; quod quidem ad episcopalis oneris officium pertinere nemo non videt. Idcirco ſacra Tridentina Synodus episcoporum apud eccleſias ſuas reſidentium præſentiam quanti referat pernoſcens, illos monuit, vt ſibi attenderent, & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus illos poſuit regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo; & diuinorum præceptorum memores facti forma gregis in iudicio & veritate paſcerent ac regerent; in eos vero qui ab eccleſia & reſidentia diſceſſerint, quædam ſanxit, quæ pertinaciores coercerent, vel alieniores ad officii ſui ſtudium reuocarent. Exiſtimamus autem de reuerendiſſimorum episcoporum noſtræ prouinciæ pietate non eſſe dubitandum, imo credendum illos, qui hætenus voluntate in ſua eccleſia & diœceſi reſederunt, & muneri episcopali promptam operam & fidele miniſterium præſtiterunt, in poſterum diligentius idem facturos; vt, quæ de contumaciter abſentibus a reſidentia ſua eodem Concilio ſancita ſunt, alio potius, quam in prouinciam noſtram, deriuari conueniat.

Quod vero de episcoporum reſidentia a ſacro Tridentino Concilio & ſummorum pontificum conſtitutionibus cautum eſt; hoc non eſt intelligendū, vt præſentia affideant, nihil præterea agant: cum ex ſacris Canonibus reſidentia ſit accipienda in eum ſenſum, vt ſit laborioſa, non otioſa: id

ANNO  
CHRISTI  
1596.

quod duobus præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregie exprimitur, Vt pascant & regant: quorum primum ad vitæ innocentiam, ad salutaris verbi prædicationem, ad sacramentorum administrationem & bonorum operum exemplum pertinet: secundum ad disciplinam restituendam, ad mores purgandos, & iuris ecclesiastici ditionem, ad bonorum laudem & vindictam malorum sustinendam spectat. Vtrumque si præstiterint episcopi, satis illa, quæ sunt episcopalis muneris, videbuntur præstitisse & impleisse.

Debent autem ab episcopali domo (vt a capite reformatio incipiat) initia correctionis duci, vt illi, qui vel ad ministerium gubernaculi adsciti sunt, vel episcopo seruiunt, vel ad quæcumque domus & familiæ commoda pertinent, suo quisque gradu modestiam illam vita, moribus, habitu, pietate, conuersatione præ se ferant, quæ bene præpositum familiæ decent, vt a familia episcopali sumant ceteri exemplum domesticæ rei bene & laudabiliter tractandæ.

Qui ex eadem familia sunt & clericalem habitum deferunt, ex quibus pars maior episcopalis familiæ constare debet, præluceant reliquis virtute & integritatis ornamento: quod sæpe episcopi reuideant, recognoscant, emendent: putent vero maximum sibi fore ex hac parte ad reformationem impedimentum, si quod in aliis animaduernerint & corrigere voluerint, familiæ suæ, quam prius informare disciplina debuerant, obiici vere possit.

Ac vt frequenter sacrum facere debent episcopi, nisi impedimento rationabili teneantur: ita dominicis & festis diebus ad veterum Canonum præscriptum ecclesiæ cathedrali, quoad fieri potest, deesse non debent, vt populus prælati benedictione & exemplo animatus, quam præscripserit prælatus pietatis & deuotionis regulam, & exemplo confirmarit, eam pie arripere & solícite sequi studeat; ac dum in choro diuinis episcopus interest, curet vt disposito rerum ordine nihil sit vel confusione turbatum, vel deordinatione inuersum.

Quod ad ministros ecclesiasticos & ecclesiarum ornatum pertinet, curent episcopi, vt in clero suo ex habitu ecclesiastico pietas, ex conuersatione sinceritas & innocentia colligatur, vt Christi bonus odor ita bene oleat, vt nihil omnino male oleat. Sit in vnoquoque gradu quædam con-

ditionis proportio; illa quidem par gradui, forma non dissimilis, vt qui totam inspexerint prouinciam, vnicam omnino videantur familiam videre, officiorum, & studiorum varietate distinctam, at vero vni patrifamilias subditam, & eisdem legibus conformatam.

Vt verbi Dei prædicatio, quod est vitæ spiritualis pabulum, fidei principium, bonorum operum fundamentum, præsentia episcoporum incrementum recipiat, & vberiores in singulos dies poenitentiae fructus in fideli populo ferat; statuimus per episcopos omnino (vbi fortasse non est) sedile in ecclesia suggestum prædicatoris e regione respiciens altiore aliquo gradu constitui: vbi episcopus cum suis canonicis superpelliceo indutis ad prædicationem audiendam sedeat. Prædicationi episcopus, si legitime impeditus non fuerit, quotidie intersit, & exemplum præbeat pietatis, ac deuotionis. Quia tamen ad clericalem statum pertinet, omnibus pietatis officiis ceteris antecellere, & prædicationi interesse: ac si sæculares sua sedilia pro prædicatione audienda, vel communia, vt magistratus, vel propria, vt priuata personæ, in ecclesia habent, ecclesiasticos homines loco & sede carere in ecclesia, etiam extra chorum, cum non deceat, episcoporum diligentia proponimus & suademus, vt prope sedile proprium, quatenus fieri poterit, alterum apte constructum accommodent ad clerum recipiendum. Ex quo duo consequentur apud omnes magni æstimanda: primum erit, vt episcopo notum sit ex sola loci inspectione, an clerus ad prædicationem conueniat; vt si defecerit, opportune etiam prospiciat: secundum erit, vt populus, qui clerum prædicationes declinantem aliquando perspiciens scandali offensionem passus est, ipsius cleri emendatione & frequentia acrius ad imitationem incendatur.

Atque hoc ipsum ne suo fraudetur euentu, diligentia episcopi sustinendum decernimus; vt ante prædicationes clerum moneat, tardiores excitet, omnes, qui iusto carent impedimento, ad prædicationes adducat, pertinaciter inobedientes, vt respiscant aliquando, etiam coerceat: graue enim videri iure possit, dum reliqui ad verbum Dei audiendum solícite confluunt, si clericos videamus per vicos & plateas errare & sæcularibus rebus operam dare, ac nullius prouisione & decreto ad meliorem mentem reuocari.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Idem curandum monemus, cum festis diebus diuina celebrantur officia, vt omnes cleri ciuitatum (exceptis rectoribus parochiarum, quibus est animarum perpetua cura imposita: & iis, qui obligatione alicuius ecclesie tunc temporis obstricti sunt) nisi fuerint ex ipsis aliqui legitimo impedimento detenti, in ecclesiam cathedralem, seu collegiatam respectiue tam ad horas diurnas, & Missam conuentualem, quam ad vespervas conueniant: nihil enim potest videri absurdius, si secularis diuinorum officiorum tempore ecclesiam frequentent, clerici refugiant: illi Deum vel tacitis vocibus in ecclesia laudent, isti in viis, & publicis locis tempus vaniloquiis terant, & boni auersione scandalum prabeant.

Quod vt executione facili perficiatur, hortamur episcopos, vt illam rationem, qua ad rem fuerit accommodatior, ineant.

Non omittant episcopi seminaria inuisere, ac disciplinae, morum, & pietatis documenta, quibus puerilis aetas informatur, recognoscere, & adhibito canonicorum consilio, quos ad gubernaculi partem adsciuerunt, prospicere, vt fructus, qui a seminariarum erectione, & conseruatione percipitur, omnino non pereat. Seminarii clericos ad cathedralium ecclesiarum, aut etiam collegiatarum seruitium festis diebus adscitos non permittant officium deserere; aut occasione accedendi, & recedendi, per ciuitatem diuagari: sed modestiae, & ecclesiasticae disciplinae lege moderentur & contineant.

Doctrinae Christianae societates, & exercitationes aliquando visitari ab episcopis decet, vt vel auctoritate, vel praesentia rem tantam, qua alicubi difficultatem patitur propter patrum negligentiam, & petulantiam puerorum, omnibus prouehere studiis contendant. Quod si fuerint impediti, vicarios generales, aut etiam foraneos ad hanc visitationem dimittant, vt quod est Christianae fidei, ac disciplinae fundamentum, & certa ad omnem vitam cum virtute traducendam ratio, vigilantia, & sollicitudine episcoporum conseruetur, & certis praesidiis muniatur.

Congregationes casuum conscientiae singulis coram se mensibus haberi praecipiant, ad quas omnes curatos, & clericum ciuitatis aduocabunt, & renuentes compellent iu-

ris remediis, atque pro his proponi casus tempestiue, & clero per schedas denuntiari curent, ac decisiones a theologo, quem adsciuerint, super eorum singulis ferri mandabunt.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Ægrotantium visitationes, eorum præsertim, qui prælati præsentiam, aut benedictionem in extremo vitæ statu exposcunt, aut aliqua ratione possunt vel iniuriarum dimissione, vel rei alienæ restitutione, vel erratorum atrociorum absolute ad bonum adduci, libenter episcopi suscipiant, & ex caritate obeant. Ad quod munus accedere æquum erit ad cohortandum, monendum, corripiendum, monendum studiose, vt animas Domino lucrifaciant; ne diuertant sermone ad humanas tricas, nisi necessitas compellat: orationis scopus in vnum Deum, & animarum salutem intento sermone dirigatur, & subsidia proponantur spiritualia, vt corporis ægritudo toleranter perferatur, quo Dei gloriæ seruire, & peccatorum maculas abstergere valeant; in quo abundet episcoporum caritas, & Christiana solertia.

Pauperum, & miserabilium personarum curam paternam gerant episcopi, ne destitutæ ab eo, qui communis debet esse pater, custodia & caritate, quæ sunt propria prælati munera, in mala varia, & duras incidant calamitates, nec sit, qui in volutabro miseriarum iacentibus manum admoueat, si episcopus non admouerit, & beneficentiæ Christianæ exemplum non dederit.

Ea est rerum humanarum inconstantia, & imbecillitas, vt nihil sit inter homines ita firmum, & munitum consensu, lege, natura, quod vanitati & casui non subiiciatur; nec potest cuiquam permanendi status præscribi, quin repentinæ instent & exoriantur causæ, exque cum ratione consentientes, vt discedere oporteat, & expediat. Idcirco licet episcopis residendi apud suas ecclesias, & in diœcesi, Concilii Tridentini decreto, & in grauissimo pontificiarum constitutionum præcepto necessitas imposita sit; cum tamen Christiana caritas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euident ecclesiæ, vel reipublicæ vtilitas suaserit, vt episcopi ab ecclesia, & diœcesi abesse cogantur, non illam ob causam contumaciæ redarguendi, si causas absentis probatas attulerint ad excusationem; quas, quia incer-

ANNO  
 CHRISTI  
 1596.

tis a rebus pendent, definire vel superuacaneum, vel incertum, & indefinibile putamus.

Quod ad causas absentia pertinet, id fiat, quod Tridentino Concilio sancitum & declaratum est; cuius dispositionem in omnibus declaramus seruandam & exequendam.

Qui incitiam laborant, & ambitiosa nobilium potentia nituntur, cum vel ad ordines, vel ad beneficia aspirant, commendatitias literas vndique collectas ad praesidium incitiae suae adsciscunt. Duo vero, quibus est occurrendum, efficere conantur, vt imperitiam his suis fulciant adminiculis, aut praelato liberam disponendi facultatem adimant, vel eundem in difficultates adducant. Idcirco statuimus, & declaramus omnes & singulos commendatitiarum literarum perquisitores, & praesentatores, siue ad ordines, siue ad beneficia aspirent, quandocumque pro praedictis commendatitias praesentarint, tunc temporis ad eadem, quae tum petunt, quamuis alias idonei essent, non promoveantur.

Capellae, & altaria de iure patronatus laicorum, incompta, & inculta, decet omni ratione ornari. Patronos autem episcopi iuris remediis compellant, & quae debent, omnino a parte sua impleant.

Praterea vigiliis sanctorum, & festorum dierum, quibus ieiunatur, praecedente vespere signo campanae intimitur populis ieiunii futuri obseruatio, vt ignorantiae praetextus excludatur. Quod episcopi parochis indicent omnino exequendum.

VI.

QUI curam animarum ex officio susceptam habent, rei debent, quam sustinent, quae singulis periclitatur momentis, praesentem operam dare; atque hi quidem vt corporali insistant residentia, ita piis debent conatibus vrgere, ne quid propter illorum iniuriam, aut nequitiam pereat, & reddendae rationis obligatione malum custodem obstringat. Debent curati meminisse, datos se populis mediatores inter Deum, & homines, vt sacra frequenter facere pro ecclesia sancta Dei, & populo sibi commisso non omissant; vt verbum Dei, cuius dispensatores facti sunt, inculcare animis fidelium non desinant; vt sacramenta petentibus vel ministrare, vel proponere, & suadere maxima diligen-

tia, studeant, vt vitæ integritatem in exemplum aliis præ-  
tendant, & quasi lucernis ardentibus viam demonstrant,  
qua per diuinorum mandatorum obseruantiam in cælum  
ascenditur.

Sacra festis diebus facere curati non omittant : reliqui  
vero tam sæpe, vt muneri suo satisfaciant. Sacramenta om-  
nia ex Romano rituali ministrent, vt in breuiario, Missali,  
sacerdotali, rituali, & aliis sanctam apostolicam Roma-  
nam ecclesiam magistram, quæ non fallitur, & matrem,  
quæ materna dilectione filios non amare, & salutaribus  
non pascere alimentis non potest, omnino sequantur.

Duo sunt fines in humana fragilitate ; ingressus in vitam,  
& exitus : his tamquam curriculi huius finibus vita præfens  
terminatur, vtrobique curatorum vigilantia, & Christiana  
caritas requiritur. Cum enim ingredimur in hanc vitam  
ærumnis & periculis refertam, iræ filii, spei salutaris ex-  
pertes, & renouationem regenerationis expectamus ; præsto  
debet esse, qui baptismi sacramento originalis peccati ma-  
culam abstergat, & in filiationem Dei, qua iuste primi pa-  
rentis culpa damnati fueramus, restituat. Discessus ex hac  
vita, qui graui premitur erratorum pondere, & perpetui  
naufragii metu, nisi opportune spiritualis medici pharma-  
co muniatur, & confirmetur, iure quidem postulat, vt dis-  
pensator, cui fuerat ministerii ratio commissâ, damni pœ-  
na damnetur. Ad patrinatum in baptisinate non admittant  
curati eos, qui saltem memoriter non teneant orationem  
dominicam, salutationem angelicam, & symbolum apo-  
stolorum.

Sint igitur curati diligentia, & fideli ministerio com-  
mendabiles, vt opus, quod tenent, diligenter sustineant,  
Dei, & episcopi sui animaduersionem subituri, si negligenter  
se gesserint. Ac hi quidem extra parochiæ fines habitare  
non præsumant, sed inter suum gregem diuerticulum  
habeant, vt in omnes partes custodia, & caritatis suæ affe-  
ctio commode dimanet. In libro descripta habeant distin-  
cte nomina parochianorum per domos, & familias ; con-  
fessionem, & communionem paschatis resurrectionis domini-  
cæ intendant ; inter illos omnia obseruent, omnia circum-  
spiciant. Vt patresfamilias bene familiæ præpositi, si quem  
præfenserint corpore ægrotare, prudenter adeant, conso-  
lentur ;

ANNO  
CHRISTI  
1596.

lentur ; ac vt medicus corpori subuenire medicamento properat , salutis monita prudenti , & maturo sermone , ac spirituales medicinas proponant , suadeant , ministrent ; ac ouem Christi sanguine redemptam ne patiantur inedia , & fame spirituali perire. Præter libros , in quibus scribantur nomina baptizatorum , & confirmatorum , habeant curati librum matrimoniorum , atque item mortuorum : vsus enim iam docuit huiusmodi scriptiones ad multas , easque maximas , etiam summe periculosas controuersias tollendas pertinere.

De ecclesiis , sacristiis , ecclesiastica supellectili , & decenti illorum omnium cultu , ita curent , qui parochialibus præsent ecclesiis ; vt nihil appareat sordidum , aut minus quam decet nitidum.

A cœmeteriis vineas , & fructuosas arbores amoueant ; nec intra solum sacrum venale quidquam proponi sinant ; vt re appareat quod iam norunt per doctrinam omnes , esse domum orationis , non autem negotiationis.

Miserabilium personarum parochiæ suæ curam gerant paternam , præsertim vero vbi iuniores puellæ , aut viduæ sunt , quarum egestas graue periculum ostendit : atque in hoc ipso ita contendant , vt omnem etiam lapidē moueant ; quo casui , qui videtur instare , summa caritate occurrant.

Domus parochiales ordine ac disciplina sint reliquis exemplum. Curati omnino ad quodcumque vel vile ministerium feminas non adsciscant sibi in familiam , quæ aliquando infames corpore fuerint , vel infamibus domestico ministerio inseruierint , aut propter ætatem , & alia suspectæ esse possint. Mares etiam illos minime recipiant , qui publici blasphemæ sint , aut scelerosi , aut saltem in pascate confessi , & eucharistia non fuerint. De feminis in ciuitatibus , præcipimus a vicariis generalibus episcoporum huiusmodi ministras , præuia aliqua cognitione probari : in opidis , pagis , & villis ab archidiaconis , seu vicariis foraneis regionum.

Discessus curatorum a parochiis vt propter animarum curam , quæ singulis obiicitur momentis alicui periculo , est inhibendus ; ita indulgendum necessitati , & temporum qualitati. Itaque sciant episcopi , eorumque vicarii licentiam discedendi in scriptis , gratisque non vltra bimestre

tempus, nisi ex graui causa, esse concedendam, sicut decreto Concilii Tridentini statutum fuit. Vt autem in ciuitatibus licentiam huiusmodi edicimus a vicariis generalibus in scriptis esse petendam; ita in opidis, pagis, & villis petendam decernimus a propriis vicariis foraneis pro facultate illis ab episcopo limitate concedenda. Si qua vero fuerit legitima causa, quo minus curatus aliquis apud ecclesiam suam residere possit, erit illa quidem legitime coram episcopo, aut eius vicario generali probanda: & si fuerit ex illis, quæ iusta videri, & reputari possit, licentiam scripto authentico comprehensam dare licebit; quarum licentiarum vel longi temporis residentia excusantium, vel breuioris ex causa momentanea, mandamus librum, seu regestum quamprimum fieri, vt quodcumque licentiæ huiusmodi videri, ac reuideri possint.

## VII.

MONEMVS omnes in Domino absentiam iure permitte ex causis rationabilibus indulgeri, vt humanis sit necessitatibus consultum; non vt canonici ad luxum, & venationes, & illa, quæ modestiam clericalem non decent, per occasionem indultæ absentiae diffuant: quod illos meditari apud se, & perpendere æquum est. Absentiam ab ecclesia monemus omnino non suscipi dominici aduentus tempore, quadragesimæ, natiuitatis, resurrectionis, pentecostes, itemque corporis Christi, atque ita dimitti, vt dimidia saltem pars canonicorum, (saluo illorum iure, qui super his priuilegio fruerentur, viridi obseruantia stabilito;) in ecclesia remaneat.

Si qua extra ordinem causa grauior, & longioris absentiae necessitas, ex priuato etiam incommodo emerferit, illam decernimus ab episcopo seruatis seruandis cognosci; interim ad perceptionem distributionum quotidianarum absentem non admitti.

Ac vt distincte, quid hoc in genere vitandum, quid sequendum, cognosci ac decerni possit, statuimus, canonicis, seu beneficiis sine cura obtinentibus, quæ residentiam personalem requirunt, si ætate maiores triginta annis fuerint, licentiam vt proficiscantur ad studia in gymnasiis publicis obeunda denegandam, nisi studia iam cœpta perficere continuato cursu perseuerarint. Huiusmodi autem li-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

centia non vltra quinquennium concedatur : studia vero debent esse sacrae theologiae, aut sacrorum Canonum. In quo monemus animaduertendum esse, vt beneficiorum onera interim per substitutum idoneum obeantur, & sustineantur. Obtinentes ecclesias parochiales decernimus omnino a licentia huiusmodi proficiscendi ad publica gymnasia esse repellendos; qui enim collationis tempore per concursum examinatus, & canonicè promotus fuit, & publico examinatorum synodali testimonio ad animarum curam exercendam idoneus habitus, dimittendus non est, vt discat, cum ad docendos alios prouectus fuerit.

Quia solent capitula interdum canonicis in longum absentiae tempus, annos etiam commentitiis causis, aut veris, sed non legitimis concedere, eisdem inhibemus, ne quid in posterum tale conari, aut tentare audeant; alias decernimus irritum, & inane, quidquid super praemissis actum, gestum, decretumve fuerit.

Quia vero interesse diuinis corporalem tantum praesentiam non requirit, vt quis actum praesentiae exhibeat, nihil praeterea agat, aut curet; praesenti constitutione edicimus, illos dici vere, & proprie residentes, qui ad diuina in ecclesiam conuenientes laudes persoluunt, ex instituto ecclesiae, Deo; munera obeunt vel communia, vel propria; diuinis animo, ore, toto corpore intendunt. De quo superius capite de diuinis officiis satis actum est.

VIII.

IN Domini domo nihil praeposterum, aut inordinatum esse debet: ordo autem, & ratio dicat, vt quae in membris proportio, & symmetria desideratur, ea in capite praecipue eluceat, & emineat; ne monstri simile sit, turpe imponi caput bene composito corpori, quo membra, licet per se satis apta, dignitatem, & pulcritudinem amittant. Idcirco si res postulet, vt in ecclesia electiua (vt vocant) agatur de electione episcopi, quaedam constituenda duximus, vt tantae rei agenda, quantum licet, consulatur.

Sit igitur eligentium scopus, vt ad cathedralis ecclesiae regimen eum eligant, qui sit legitimo matrimonio natus, aetate matura, grauitate morum, literarumque scientia iuxta constitutionem Alexandri III. quae incipit: Cum in cunctis; in Concilio Lateranensi promulgatam. Debet autem

antea in vniuersitate studiorum magister, siue doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel iure canonico esse promotus, aut publico alicuius academiae testimonio idoneus ad alios docendos habitus; si regularis fuerit, a superioribus suae religionis similem habeat fidem; saltem vero sex mensium spatio ante in sacro ordine constitutus. Promoti autem ad ecclesias cathedrales post receptam electionis confirmationem, ut munera episcopalia obire, & gregis incolumitati consulere valeant, debent ipsi quidem munus consecrationis intra tres menses suscipere, nec differre ultra tres alios menses, ne vel fructus restituere in primo casu compellantur, vel in secundo priuationis poenae subiiciantur. Consecratio vero si extra curiam Romanam fiat, in ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in prouincia, si commode fieri poterit, celebretur.

Ad electionem, qui ius eligendi habent, non procedant, nisi mortuo episcopo, & vocatis omnibus, qui sunt in prouincia, ut electioni episcopi, quae tanti refert, interfint omnes, qui ius habent, & ferre suffragium valent; ut maiori, ac saniori parte episcopi electio sustineatur.

Processum, & inquisitionem fieri de praedictis qualitatibus eligendorum sacra Tridentina Synodus districte praecipit, ad sanctissimum dominum nostrum cum fidei professione transmittendam, & ab eodem approbandam. Quod non modo ut fiat, sed ut bene fiat in primis curandum. Tota autem instructio a probatis viris testibus, omni exceptione maioribus sumenda, qui vitae, morum, integritatis, pietatis, ac sedulitatis Christianae certum testimonium reddant. Sit attestatio iureiurandi religione munita, sit ex officio recepta, & a personis ab officio assumendis, non a parte nominandis, & in publicum instrumentum redacta. Qui vero ex capitulo examini, & inquisitioni praeficientur, ab ipsomet capitulo eligantur, delato eis iuramento facturos in examine obeundo, quae iuxta veritatem, & iustitiam sunt, posthabito odii, amoris, affinitatis, & aliorum omnium respectu; ac nihil se ex iis, quae inquisitione perceperint, cuiquam praeter ipsum capitulum manifestum facturos. Ad postulationes confugere, & ineligibilem per carnem & sanguinem exposcere, & iuris ordinem peruertere non expedit. Statuimus, in ecclesiis electiuis

ANNO  
CHRISTI  
1596.

ordinem iuris sequendum esse, ac tum demum ad postulationes canonicas declinandum, cum electiones idoneorum præficiendorum defecerint.

In primis autem cum ecclesia vacauerit, supplicationes, & preces publice, priuatimque habendas præcipimus a capitulo per ciuitatem & diœcesin indicendas, quibus clerus & populus bonum valeat a Deo pastorem impetrare, quod est gubernaculi ecclesiastici & Christianæ disciplinæ & pietatis certissimum cum Dei gratia fundamentum.

Ac vt ea, quæ in membris est naturalis quædam consensus, vt inuicem seruiant, inuicem obsequantur; in corpore prouinciæ nostræ caritas inter episcopos vigeat, quæ Deo placeat, & populorum ædificationi consulat, decernimus, si quando diuina disponente prouidentia, metropolitanus, aut aliquis ex episcopis suffraganeis decubuerit, & in viam vniuersæ carnis declinare cœperit, vt ex iisdem suffraganeis, qui proximior ægrotanti est, seu eo impedito, aut absente, alius, qui minori spatio abest, capitulo ægroti episcopi significante, solícite accedat, vt sacramenta & spiritalia obsequia prudenter exhibeat, & præsens præsentem caritate consoletur episcopali. Si æger episcopus obierit, curabit idem, vt per œconomos, aut alios ex capitulo, tota sacra supellex, ornamenta ecclesiastica, paramenta, vasa, Missalia, atque huiusmodi alia, licet ex auro, seu argento confecta ad diuinum cultum etiam in priuatis ædibus, cappellis, oratoriis destinata, quæ tempore obitus eius extabunt, ecclesiis, de quorum fructibus facta fuerint, eo ipso applicentur & incorporentur, sublata de eisdem testandi, seu disponendi facultate: Id quod Pii V. constitutione decretum est, & grauius omnibus, ad quos pertinet, pro executione iniunctum.

De censibus & redditibus dictarum ecclesiarum non exactis, siue dies soluendi cesserit, siue non cesserit, modo exacti non fuerint, etiamsi illorum fuerit exactio, in iudicio iam proposita, quod Iulii III. constitutione iam decretum est, hoc idem seruandum statuimus, vt scilicet ad successores episcopos pertineant. De fructibus vero non exactis legati, aut donationis titulo relictis, decernimus, quod in declarationibus eiusdem bullæ adiectis decisum, ac definitum est.

Defuncto metropolitano, ab episcopo, qui spiritualia illi obsequia praestitit, dies obitus totius prouinciae episcopis significetur, & in tota prouincia dies illius depositionis magna celebritate sacrorum & cleri agatur. Si ex episcopis aliquis decesserit, qui caritatem exhibuerit defuncto, ille idem episcopus rem metropolitano significet, qui toti prouinciae idem officium indicat. Ac vt metropolitani postremo tempore defuncti anniuersarium in tota prouincia quotannis fieri praecipimus & mandamus; ita in singulis cathedralibus ecclesiis de proprii episcopi proxime defuncti anniuersario repetitum, ac dispositum intelligi debere dicimus, declaramus & statuimus. Aequum enim est, vt eos, qui nos dilectione paterna & pastoralis affectione fouerunt, & ad omne bonum adducere perpetuis laboribus & vigiliis conati sunt, grati animi memoria & piis obsequiis profequamur.

Quod de anniuersario metropolitani & episcoporum singulis annis celebrando decreuimus; hoc item de metropolitani & episcoporum suffraganeorum viuentium solenni consecrationis die quotannis habendum & celebrandum decernimus; vt preces publicae & supplicationes ipso consecrationis solenni die habeantur; ac diuinæ clementiae bonitas exoretur, vt gratiae suae munere gubernaculi ecclesiastici ordo, institutio, & progressio procedat.

Dies vero tam anniuersarii metropolitani, quam episcoporum, itemque consecrationis eorundem in Calendariis particularibus episcoporum indicantur.

## IX.

PAROCHORVM ea est muneris & obligationis ratio, quae curam animarum vniuersam complectitur, vt hoc ipso capite statuere de parochis aliquid optimo iure decreuerimus. At vero cum ad reliquorum custodiam parochorum sollicitudo vocetur, debent hi quidem non gregatim adscisci, aut inconsulto prouehi, sed canonice, id est mature & seruatis seruandis. Cum igitur quomodocumque vacauerit ecclesia aliqua parochialis, quocumque censeatur nomine curata, etiamsi sit vicaria vel temporalis, vel perpetua, curam habens animarum annexam, siue sit liberae collationis ordinarii, siue de iure patronatus, decernimus, statim habita vacationis notitia, episcopi partes esse, ido-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

neum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesie sustineat, donec ei de rectore provideatur. Quod si cui collegio, aut capitulo a sancta sede indultum sit, ut casibus repentinis occurrente vacatione alicuius ecclesie curatae, ipsummet possit capitulum de corpore cleri civitatis aliquem ad curam in vacante ecclesia suscipiendam dimittere, donec episcopus moneatur de huiusmodi vacatione; sciant cuncti id indultum extra casum suum non esse intelligendum.

Cum ad notitiam episcopi vacatio parochialis ecclesie peruenerit, edicta decernimus publice esse proponenda, quibus vocentur ad futurum examen die constituta perficiendum, qui ad concursum accedere volunt. Ex iis vero, qui ab examinatore synodalibus idonei renuntiati fuerint, etate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, ab episcopo eligatur, quem idem episcopus magis idoneum iudicauerit, ut ad vacantem ecclesiam promoueatur. Collationem autem ecclesiarum parochialium, seu curatarum, factam sine examine commissio examinatore synodalibus, & non obseruata lege concursus, nullam declaramus, irritam, atque nullius esse valoris pronuntiamus, ac taliter prouiso nullum etiam coloratum ius, aut titulum quaesitum esse: dictas vero parochiales ecclesias, siue curatas, ut ante, vacare, ac de eisdem prouideri debere. Quod si obseruata sit quidem forma concursus, sed minus idoneus magis idoneo fuerit ab episcopo in electione praepositus, liceat ei uti appellationis remedio aduersus episcopi eligentis irrationabile iudicium, quemadmodum cauetur constitutione sanctae memoriae Pii quinti hac de re edita.

Quod si carnis & sanguinis affectione, posthabito eo qui magis idoneus in examine fuerit, conferatur ecclesia minus idoneo, & appellarit ad hanc sedem metropolitanae ille, qui sibi factam fuisse iniuriam probare, ac ius tueri suum velit; officii necessitate cogimur iustitiae subsequi implementum, quod grauissima constitutio Pii quinti indixit, & ecclesiastica ratio postulat.

In huiusmodi ecclesiis, quae sunt de iure patronatus ecclesiastici, seruetur quod sacrum Concilium Tridentinum

disposuit; si institutio ad episcopum & non ad alium pertineat: ut is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinadoribus iudicabit, episcopo presentetur, ut ab eodem instituatur: cum vero institutio ab alio, quam ab episcopo erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei presentet, ad quem spectat institutio. In ecclesiis autem, quæ sunt iuris patronatus non ecclesiastici, seruetur quod iure statutum est, ut tamen presentati ab examinadoribus synodalibus prævio examine probentur, & non, nisi idonei reperti fuerint, admittantur.

Deputationes vicariorum tam perpetuorum, quam temporalium, in ecclesiis curatis ad mensam capitularem spectantibus & ab ea dependentibus, seu dictorum vicariatuum collationes omnes & quascumque provisiones in futurum ab executione suspendimus & suspensas post duos menses declaramus, quamdiu deputati seu provisi professionem fidei in manibus nostris, aut vicarii nostri, quoad diocesin Aquileiensem, vel in manibus episcopi ordinarii, aut eius vicarii generalis, quoad provinciam, emiserint: ut sit initium executionis ministerii professio, & fundamentum, a quo recta ministerii ratio pendere debet. In contrafacientes autem quoscumque iuris remediis animadvertendum pro criminis qualitate decernimus.

Locationes & conductiones ultra triennium ecclesiarum parochialium cum redditibus earum sub quibuscumque conditionibus, tenoribus, ac formis initas, ut alicubi fieri compertum est, nullas & irritas declaramus, & quatenus opus sit, etiam irritamus & abolemus: easdem vero ecclesias, quæ mensis vel episcopalibus, vel capitularibus unitæ sunt, in vicariatus perpetuos erigimus & in posterum per vicarios perpetuos in eisdem ecclesiis instituendos, animarum curæ inseruiendum decernimus.

Qui ad parochiales ecclesias, vel curatas assumuntur, præter ea, quæ sustinendi muneris causa requiruntur, viginquinque annos saltem attingere debent: provisionem seu collationem, aut etiam deputationem, de minore factam viribus carere decernimus.

Illiteratos curatarum ecclesiarum rectores, qui superioribus fortasse temporibus in ecclesias irreperunt, qui-

bus

ANNO  
CHRISTI  
1596.

bus propter imperitiam minus certe inferuiunt, quam res postulat: nec ferre possumus cum damno ecclesiæ, & ecclesiastici ministerii iactura in officio diuersari, & ab ecclesia remoueri caritas non patitur: eam vero rationem quam præscripsit Concilium Tridentinum, adhiberi volentes, declaramus his, modo vitæ honestæ sint, coadiutores, aut vicarios idoneos pro tempore parte fructuum competenti assignata adiungendos ac deputandos a locorum episcopis, tamquam sedis apostolicæ delegatis: vt coadiutorum, seu vicariorum diligentia Dei opus egregie perficiatur.

Quod si apud ecclesias parochiales, siue baptismales populus ita numerosus sit, vt vnus ecclesiasticis sacramentis ministrandis, & cultui sacro peragendo sufficere non possit, episcoporum tamquam sedis apostolicæ delegatorum partes erunt, rectores, seu alios, ad quos pertinet, compellere, vt tot pro ministerio sacerdotes adiungant, quot satis esse ad munus parochiale sustinendum putarint.

Inoleuit miserabili exemplo quibusdam etiam in locis, quibus populus numero, & qualitate satis pollet, abusus, vt beneficia ecclesiastica, quæ curam animarum ex primæua eorum institutione habuerunt, in simplicia beneficia assignata vicariis congrua portione conuersa fuerint, nulla intercedente sanctæ sedis gratia conuersionis, aut commutationis, sed impetrantium assertione & abusu: quasi superiorum temporum rectores, qui residere apud ecclesias curatas debuerunt, cum non resederint, & per vicarios in dictis ecclesiis ministrarint, naturam ecclesiarum parochialium culpa sua, quæ iniustum affectauit commodum, & correctionem effugit, immutarint. Cui malo occurrentes ea, quæ nos decet, vigilantia & sollicitudine, statuimus de præfatis ecclesiis, quas tamen vere constiterit a primæua erectione fuisse curatas, vt, licet effectum videantur, sine vlla tamen sanctæ sedis gratia, consecutæ, per totam prouinciam prouideatur, vt cum primum quocumque modo dictæ ecclesiæ aliter, quam per resignationem obtinentium vacauerint, ad primæui status conditionem ipso facto rediisse censeantur; & fiat de illis prouisio, vt de vere parochialibus ecclesiis sacrorum Canonum dispositione statutum est: quod vt contra omnes

impetrantium incurfiones certo præfidio tandem aliquando muniatur, ftatuimus totius prouinciæ nomine fanctififimo domino noftro fupplicandum, vt præfatum decretum apoftolica auctoritate confirmare, & munire dignetur, ne quod nofta follicitudine paratum eft remedium, fubreptionis impulfu pereat.

Debent iis, qui a parochialibus ecclefiis longe abfunt, vel extra ciuitatem funt, cum tamen a parochia ciuitatis pendeant, & ab eadem gubernentur, epifcopi opportune profpicere, vt minifteria fpiritualia in promptu neceffitate exigente habere poffint, præfertim fi aquarum diuortii, & montium difficultatibus, & pontium nocturno tranfitu, ac pluuiarum, feu niuium tempore, vel interclufo portarum ciuitatis exitu, difficilis rectori fit, ac periculofus, interdum etiam impoffibilis in eam partem accessus; quo cafu iuxta felicis recordationis Alexandri tertii conftitutionem, & Tridentini Concilii decretum, nouas epifcopi parochias conftituere poterunt, vt animarum curæ confulum fit: Iis uero, qui nouis parochiis præficiendi erunt, ex fructibus ad matricem ecclefiam quomodocumque pertinentibus assignandam portionem ex decreto Concilii \* declaramus; quæ fi minus competens, ac

\* forte  
deest Tri-  
dentini.

minus congrua fuerit, erunt partes epifcopi, etiam populum ad ea, quæ nouo rectori neceffaria fuerint, præftanda compellere, vt inde hauriat victus neceffarii commoda, ubi minifterii & laboris affiduam diligentiam impendit. Decedente parochia, ea, quæ ad facrum cultum, uafa, libros, paramenta, Miffalia, ornamenta, & alia facra, licet ex argento, fiue auro confecta, uiuens ex fructibus beneficii etiam in capella, feu priuato oratorio adhibenda confecit, nomine ecclefiæ, apud quam refedit, feu quam obtinuit, uendicanda, & in illius uifum adfciscenda decernimus & mandamus iuxta conftitutionem Pii V. quod vicariorum foraneorum diligentia expediendum erit, vt proprio illorum capite declarabimus.

## X.

Dignitatum, & canonicatum, qui nomen a regula & ordine duxerunt, electionem, & probationem epifcopis indicimus faciendam cognitione, & iudicio, vt idoneos, quos caro & fanguis non reuelauit, eligant fpectatæ

ANNO  
CHRISTI  
1596.

probitatis, morum, etiam probatæ doctrinæ, ut merito senatus ecclesiæ dici possit: in quo sibi persuadeant fore ad ecclesiasticum gubernaculum dirigendum bene incitatæ voluntati maximum & perpetuum adiumentum; pertinent enim, qui dignitates obtinent ecclesiasticas, & canonici ad caput, qui est episcopus, tamquam nobiliora membra: pertinent vero ratione ministerii & dignitatis, itemque loci propinquitate, & ordine ecclesiæ, ut nihil in horum altero sit, quod ad alterum non pertineat. Hanc ob causam de dignitatibus, & canonicatibus a Tridentina Synodo statutum est, ut in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus dignitates omnes, & saltem dimidia pars canonicatum, ubi id commode fieri potest, tantum magistris, & doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia, vel iure canonico conferantur. Quod si dignitates curam animarum annexam habeant, ex decreto Concilii declaramus nulli esse conferendas, qui saltem vigesimumquintum ætatis suæ annum non attigerit, & in clericali ordine versatus, doctrina ad munus suum exequendum necessaria, & morum integritate non commenderetur.

Aliæ dignitates, & personatus, quibus nulla subest animarum cura, clericis idoneis non minoribus annis vigintiduoibus iuxta idem Concilii decretum conferantur.

In archidiaconos, qui oculi sunt episcoporum, in omnibus ecclesiis prouehantur, ubi fieri potest, qui magistri sunt in theologia, seu doctores, aut licentiati in iure canonico: neque enim munus, sicubi iurisdictionem habent; aut dignitas, quæ principalis est post episcopalem: aut temporum ratio, quæ vigilantiam, integritatem, & doctrinæ donum requirit, omnino patitur, ut segnes, & illiterati adsciscantur, qui imperitia, & sordibus euertere perseuerent quæ stare videntur.

Ætas promouendorum ad canonicatus ea saltem debet esse, quæ sacro ordini præbendæ conueniat, ut infra tempus a iure, & sancta Tridentina Synodo constitutum, promoueri possint: ea sit præterea in literis scientia, & in ecclesiasticis doctrina, ut ordinem assequi præbendæ valeant: nisi enim idonei in examine ad ordinem præbendæ, quæ confertur, extiterint, inhabiles ad canonicatum pronuntiamus; collationem vero, aut quamcumque pro-

motionem de illis ad canonicatum irritam & cassam declaramus.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

In ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, & parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex praua consuetudine obseruatur, vt in electione, presentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione, siue admissione ad possessionem alicuius cathedralis ecclesie, vel beneficii, canonicatum, aut prebendarum, vel partem prouentuum, seu ad distributiones quotidianas certae conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitae, aut etiam quae in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponantur: haec examinent, & diligenter episcopi perpendant, vt, quae in vsus pios conuertuntur, permittant, alia, quae sordidam auaritia labem, & simoniacam suspicionem olent, euertant, ac omnino tollant. Quod vero spectat ad primi, post adeptam possessionem, anni fructus, decernimus exequendam omnino constitutionem Pii V. vt si hi fructus, & distributiones in pia opera statuto, aut vetere consuetudine infumantur, dimidium ad canonicum, dimidium alterum ad ipsorum executionem pertineat; si vero inter canonicos distribuuntur, aut aliter infumantur quam in pios vsus, tum decernimus dictos fructus, & distributiones primo etiam anno post adeptam possessionem integros ad canonicum pertinere, & eidem sine diminutione assignandos esse.

Beneficiorum etiam simplicium sub eodem tecto obtinendorum prohibitionem iure communi latam omnibus episcopis seruandam, & exequendam omnino proponimus, & intimamus.

Ferendum nullo pacto dicimus, & declaramus, vt ad beneficia simplicia, vel liberae collationis, vel iuris patronatus, sacerdotii ordinem, & ministerium annexum habentia, prouehantur pueri etiam impuberes, qui literas, & pene seipsos ignorant, nedum munus exequentur beneficiis annexum, aut exequi possunt: quem abusum corrigere volentes, declaramus illos, qui aetatem non habent, vt saltem infra annum promoueri ad ordinem tituli beneficalis possint, inhabiles ad huiusmodi beneficia, quae sacerdotii ordinem, & ministerium annexum habent: ele-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

tionem vero, præsentationemque, & institutionem de huiusmodi persona nullam, & irritam esse, aut etiam irritandam, & annullandam declaramus.

Ac, vt in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, quæ ministerium habent, & aliquam muneris executionem, in primis attenditur, & curatur, vt qui prouehitur, idoneus sit; ita in beneficiis quibuscumque simplicibus conferendis, quamuis de iure patronatus, accurate seruandum præcipimus, & mandamus, vt prius examinetur promouendus in iis, quæ ad beneficii onus pertinent, quam promoueat: si fuerit idoneus, vt fiat, quod iure fieri potest, ac debet: aliter factam collationem ex decreto Concilii declaramus irritandam: ipsi vero collatores pœnam sibi isto casu alias indictam, & in Concilio Tridentino receptam & innouatam declinare studeant.

XI.

Clericorum vitam habitu, studiis, conuersatione decet esse integram; vt qui aliis ordine præsumunt, etiam exemplo, & laudabili morum & studiorum institutione præluceant. Quia vero hoc ipsum actu constat & habitu, singillatim de vtroque statuere aliquid decreuimus, vt etiam successione temporum, quod institutum, cœptumve fuerit, expositione aliqua perficere valeamus.

Insigne clerici tonsura est, ac vestis talaris: qui igitur in clericalem militiam adscitus est, norit a se hoc primum requiri, vt habitum, & tonsuram deferat: qui non detulerit, sciat se pœnis iuris subiacere.

Cum autem complures sint, qui tonsuram habent, atque etiam ordines minores, quorum aliqui in ecclesiasticis ministeriis in habitu & tonsura aliquando seruierunt; postea respicientes retro, tamquam regno Dei minus apti, clericalem militiam deseruerunt, & ad vitam laicalem, & communem reuersi sunt: alii nec habitum, nec tonsuram vnquam gestarunt, nec in ecclesia sua clericorum instituto & more versati sunt; sed laicorum habitu, delatione armorum, toto corporis cultu omnia alia potius, quam clericos se ostenderunt; neque clerici vnquam communi hominum opinione habitati sunt: vtrique vero vitam sæcularem degentes si quando aliquo impingunt, & iustitia temporalis præcepto propter crimen obiectum in ali-

quam difficultatem trudentur, tum ordinationis literas ostendunt, & fori ecclesiastici subsidium implorant: abufibus occurrentes variis & grauibus, sacri Concilii Tridentini decretis inhærentes statuimus & declaramus indignos illos esse, quos fori ecclesiastici fauor complectatur, qui eiusdem fori dignitatem, & obedientiam contempserunt. Nullus igitur fori priuilegio ex decreto Concilii gaudet, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui ecclesiæ ex mandato episcopi seruiat; vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur.

Illis autem, qui beneficium ecclesiasticum quodcumque, etiam quomodocumque simplex, possident, vel canonicatum, aut capellaniam, siue etiam pensionem ultra ducatos sexaginta, tonsuram vero, & habitum clericalem deferre contemnunt, amantes lucrum, insigne vero suæ professionis abhorrentes, constitutiones Sixti V. datas, alteram v. Idus Ianuarii, 1588. alteram pridie Kalendas Februarii eodem anno, intimandas intra mensem decernimus, & mandamus: futuris autem temporibus in diœcesanis Synodis easdem promulgari præcipimus.

Lateranensis Concilii sanctione grauissima decretum est, vt qui beneficia ecclesiastica tam curata, quam non curata obtinent, nisi post certum tempus horas canonicas recitarint, fructus beneficiorum amittant, qui ex tunc fabricis locorum piorum, seu eleemosynis applicati fuerint. Quod vt clericis apertius innotescat, sæpius eisdem inculcandum decernimus, ac statuimus Pii quinti constitutionem de hac re ipsa latam xi. Kalendas Octobris, 1571. in diœcesanis Synodis quotannis publicandam: qua amissiones fructuum beneficialium pro horarum omissione quantæ sint, declarantur; inde enim omnes colligent, quod male perceptum est, qua fuerit ratione, & cui restituendum.

Non tamen existiment, qui ad subdiaconatus ordinem, & superiores prouecti sunt, si beneficio ecclesiastico careant, horis canonicis ex breuiario Romano recitandis obstrictos non esse, omnino vero intelligant, quemadmodum qui beneficium habent ecclesiasticum, horas cano-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

nicas non recitantes, vltra peccati mortalis reatum, amissione fructuum plectuntur: ita illos omittendo horas canonicas mortaliter peccare, nec se prætextu beneficii non adepti excusare posse. Norint vero sacri ordinis susceptione, se in sortem Domini, cui in humilitate seruire debent, adscriptos esse, vt a sua ipsius religiosa dedicatione, & sacris ministeriis discedere non valeant, sed obligatos ita esse, vt ascendere possint, ad sæculum descendere non possint. Qui muneris sui partes neglexerit, & conuinci aliquo modo poterit, vel non recitare, vel ordinem recitandi non intelligere, pœnis debitis etiam in foro exteriori, vltra peccati reatum, plectendum, & suæ correctionis beneficio, & aliorum exemplo decernimus.

De clericali habitu & tonsura ne dubitari contingat, qualis esse debeat, tonsuram, seu clericam edicimus eam esse, quam pro maiorum, & minorum ordinum gradu minorem, & maiorem præsentis pagina præscripsimus, vt vel inscriptione clericæ inscriptum sit cuique suæ ordinationis signum. Barbæ incomptioris formam, & longiores pilos a superiore labro demissos, qui oris officium impediunt, omnino damnamus, & a clericali modestia reiici mandamus. Habitum vero clericalem in ciuitatibus, terris, & opidis dicimus esse vestem talarem collo constrictam cum palio superiore longo: collaria camisiarum quocumque modo crispata, seu lactucata damnamus, reiicimus, & personis clericalibus minime conuenire pronuntiamus. Colorem nigrum modestiæ clericali aptum, conuenientemque dicimus: colores alios quoscumque, etiam in manicis, & fibulis caligarum damnamus, & prohibemus: pileos laneos, siue sericos opere crispato, vel punctorum frequenti ordine quasi pictos, seu cinguli variegati corona exornatos, ad laicos, & non ad clericos pertinere declaramus: volumen velorum circa pileum ex arte compositum, vt personas ecclesiasticas non decet, ita minus quidem decet illas quæ inter ceteras loco & dignitate eminent.

Omnibus & singulis, quacumque sint dignitate, officio, ac beneficio præditi, quibus diuinis in choro interessendi munus est adiunctum, sub pœna suspensionis a diuinis interdiciamus, & inhibemus: ne in chorum ad diuinorum interessentiã ascendant sine veste coloris nigri vsque ad

talos demissa & ad collum constricta, & superpelliceo decenti: vestem breuiorem coloris non nigri, aut collo non constrictam, quocumque prætextu sumptam, a choro, & ab ecclesia longius abesse volumus: & sub eisdem pœnis inhihemus, ne quis pileos cuiuscumque materiæ & formæ in chorum deferat: si enim locis omnibus clerus decenter ornatus esse debet, multo sane magis in loco sacro, & in choro, vbi laudes Deo persoluuntur, gratiæ aguntur, postulationes fiunt, esse debet: in quo vestimentum induens candidum, & officium angelorum obiens, ab omnibus abstinere, quæ vel inania sunt, vel sæcularia, vel a re aliena, diligentissime debet, atque id assidue meditari, & contemplari animo pie licebit. Quod autem debeat in choro esse silentium, quæ mentis eleuatio, qui cultus, attentio, & deuotio, superius titulo de diuinis officiis aliquid decreuimus: reliqua per reuerendissimos patres in commune prouinciæ commodum meditanda & compilanda proposuimus.

Ne autem quis dubitet, quæ sit habitus itinerantium forma; vt quæcumque se ad loca clerici contulerint, vitæ, & morum insigne deferant: ex ipso vero clericali habitu obstrictos se obligatione modestiæ, & temperantiæ cognoscant: statuimus vestem clericalem itinerantium eam esse, quæ saltem vsque ad genu longitudine producta, genu clerici stantis operiat: hæc autem coloris nigri esse debet, & clericaliter ad collum formata. Habitum vero clericalem declaramus eum esse, qui veste vel talari, vel breuiore in itinere, vt paulo ante dispositum est, ac tonsura constat. Si ex duobus alterum desit, habitum clericalem dimidiatum declaramus, ac dicimus, vt constitutionibus de habitu clericali deferendo disponentibus satisfactum non sit: quod episcopi animaduertere diligentissime, & curare debebunt, vt si minus edicta & monita, ac præcepta profuerint, pœnæ ingruant, & iuuante Deo profint.

Arma clericorum sunt lacrymæ, & orationes, non enses, aut alterius formæ, vel materiæ arma. Per ciuitates, & loca, in quibus habitant, si quis clericorum extra itineris faciendi necessitatem insolenter arma cuiuscumque generis detulerit, eum damnandum statuimus quarta parte fructuum suorum beneficiorum, quam ex nunc, prout ex-

tunc,

ANNO  
CHRISTI  
1596.

tunc, & e contra, sacrificiæ ecclesiæ, cui fuerit titulo benefici-  
ciali adscriptus, applicamus episcopi proprii mandato exigen-  
dam, & in prædictum vsum infumendam: crescente  
contumacia grauiora etiam remedia decernimus adhi-  
benda. Contra clericos non beneficiatos carcere, banno,  
suspensione, vel aliter procedendum erit, vt aliquando re-  
sipiscant, qui vel errore, vel improbitate animi a discipli-  
na, & obedientia descuerunt, ac Deo gratias agant, qui  
pereuntes vitæ restituit.

Pensionarios serio monitos esse volumus, eos ad offi-  
cium beatæ Mariæ virginis quotidie recitandum teneri:  
præter peccatum mortale, quod committunt, si omiserint,  
restitutionis onere obstrictos declaramus. At vero ne pu-  
tent ecclesiasticum panem, qui temporaliter inter mini-  
stros distribuitur, ad luxum, ad inania studia, ad venatio-  
nes esse conuertendum: cum sit patrimonium Christi, ali-  
menta sacerdotum, qui vere sacerdotes, & vere ecclesia-  
stici sunt, ministrorum stipendium, vt in ecclesia, vel ex-  
tra Deo laudes persoluant, & ipsi Deo obediant.

Dicit Canon: Esau venator erat, quoniam peccator  
erat: quam vero sit modestia clericali indignum, qui pau-  
lo ante breuiarium manibus tractabat, & sacræ lectionis  
studio intendebat, eum publice accipitrem deferre, &  
sua in eo studia profiteri: quique cum angelis in ecclesia  
gratiarum actiones & laudes Deo persoluebat: eum inter  
canum latratus & multitudinem versari, & incomptis ob-  
streperere vocibus, sacri Canones declarant, omnes vero fa-  
cile intelligunt. Consequitur autem, vt panis, qui misero-  
rum pauperum victui sufficeret, panis, inquam, de redi-  
tibus ecclesiasticis collectus, quod est patrimonium Chri-  
sti, ad bestiarum cibum indigne transferatur: cuius crimi-  
nis ratio districte in die Domini reddetur. Quod vt longe  
a clericorum vita & honestate remoueamus, omnibus cle-  
ricis cuiuscumque conditionis, & gradus sint, venatorium  
studium interdiciamus, & districte prohibemus, ac in eos  
grauius per illorum ordinarios procedendum statuimus;  
ac si contumacia fuerit obstinatio, & inhibitionis molli-  
oris ratio contemptui esse cœperit, grauiori etiam animad-  
uersione prospiciendum mandamus.

De tabernis, quod ad clericorum modestiam pertinet,

*Concil. Tom. 36.*

M m m m m

statuimus nulla ratione tolerandum, vt extra itineris necessitatem in tabernas diuertant. Quia vero locis quibusdam viget consuetudo, quæ, si clericorum spectetur conditio, corruptela, & abusus dicendus est; vt si conuiuii amicis, & conuiuibus parandi voluntas ex honesta etiam causa, vel hospitem aduenarum repentino aduentu inciderit, non domi, sed in publico diuersorio paretur conuiuium: & eo conueniant, & ibidem reficiantur, licet hospitibus confluentibus diuersorium totum pateat. Quod omnino clericis, cuiuscumque ordinis, status, & conditionis sint, in tota prouincia honestatis & modestiæ causa inhibendum pœnis etiam propositis decernimus, ac episcopos decreti præsentis vigore, vt serio inhi-beant, excitamus.

Alearum, & taxillorum vsus, quo tempus misera iucunditate teritur, clericis omnibus inhibemus: multo vero grauius, si non modo luserint ipsi, sed aliis ludendi potestatem fecerint parato loco, & domestico diuerticulo. Episcoporum vero vigilantia, & prudentia edictis, ac pœnis propositis opportunum erit remedium adhibendum, vt pestis auertatur, qua miserorum facultates suauis morbo exhauriuntur, blasphemiarum, & rerum desperationes excitantur, cupiditatum intemperantium, & fraudum oblectamenta aluntur, denique ipsa Dei clementia assidue offenditur: qui tanto periculosior morbus est, quanto ardentius interdum animos clericorum occupat, & ecclesiasticas opes peruadit.

Conuiuia, & nimiam laicorum familiaritatem, multarum offensionum & scandalorum originem, debent clerici in quocumque gradu constituti declinare ac fugere; honestatem, quæ inter clericos tutius seruetur, amare, contraria diligentissime vitare: meminisse vero debent, non aliunde clericali ordinis dignitatem grauius fuisse offensam, quam a nimia laicorum familiaritate: illi enim, vt honeste de iis, quæ honesti speciem præ se ferunt, sentire solent; ita si honestum illud, quod opinione comprehenderunt, assidua tractatione non reperiunt, parumpendere, & quos imperfectiores norunt, contemnere omnino solent.

Mulierum suspectarum contubernium & familiaritatem declinent & fugiant clerici: de episcopis enim fas non

ANNO  
CHRISTI  
1596.

est suspicari: ne vel mali suspicione laborent, vel periculosa rei tractatione tabescant: qui sordium, & intemperantiae studio impliciti fuerint, ita corrigantur, vt vel monitis respiscant, vel poenae intimatione, aut (si pertinaciores fuerint) etiam inflictione disciplinam recognoscant, vt etiam, si desperetur correctio, beneficiorum priuatione plectantur. Quod vero superius statutum est titulo de residentia curatorum circa feminas ad ministerium domesticum clericorum admittendas, & approbandas, hoc diligenter seruetur.

Clericum, qui a saeculo discessit in sortem Domini adscitus, saeculi adhuc negotia appetere non decet. Negotiationes enim, mercaturas, alienae rei procuraciones, alienorum tutelae, aduocationes, & fideiussiones cum saecularibus, & de re saeculari, & alia huiusmodi cum clericorum vita, & studiis consentire nemo affirmarit. Dent igitur operam episcopi, vt clerum ecclesiasticis exercitationibus, sacrarum literarum studio, & caritatis operibus instituant, & ad perfectae vitae bonum per Christianas virtutes adducant.

Ad spectacula comœdiarum, siue ad bancos circulatorum, & buffonum in plateis, qui aliis exemplum esse debent maturitatis, & prudentiae, accedere, & assistere clericos non decet: a chorearum spectatione item clerici abstineant: saltationem vero priuatam, & publicam, quod est intemperantissimae temeritatis genus, nulla ratione committant, nisi grauioris correctionis virgam experiri affectent. Personatum incedere clericum turpe, vanum, periculosum, non ferendum: non enim ad bonum habitus clericalis depositio; saepissime ad malum vel inchoandum, vel consummandum. Nocte se clerici domi contineant, nisi ad caritatis Christianae officia sit eundum: militum, aleatorum, infamium personarum conuersationem declinent: computationes fugiant, & omnia, quae ecclesiasticam personam minus decet, & sacrorum Canonum statutis interdicta sunt clericis, a se putent aliena: quae vero ad omnem caritatis, & pietatis exercitationem pertinent, eam amplectantur, & nunquam dimittant.

Clericalis militiae propagines aptari, & in futurae quasi sobolis spem ali suadet pietas, & Christianae prudentiae ratio. Ac, vt rite fiat, & iis obseruatis, quae obseruatione di-

gnissima sunt, de ordinationibus clericorum summatim quædam statuimus; alia etiam Deo fauente addituri, vt ex his quasi fundamentis maiora aliquando excitemus.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Qui ad ordines gradatim minores, & maiores promouendi sunt, quædam habere, quibusdam carere debent: ac vt diligenter prospiciendum, vt quæ ad ordines suscipiendos, & exercendos attinent, ne desiderentur, ita animaduertendum diligentissime, vt quæ ascensum, & promotionem impediunt, dispiciantur, & ab ecclesia excludantur, atque ita decretis Concilii Tridentini inhærentes, statuimus, vt prima tonsura non inicientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis coniectura non sit, eos non sæcularis iudicii fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Ad minores ordines promouendi bonum a parcho & magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant, & saltem Latinam linguam intelligant; in quibus seruanda interstitia decernimus, nisi aliud episcopo expedire videbitur: ac, vt interstitiorum ratio videtur ea esse, vt minorum ordinum functiones apostolorum temporibus in ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermissæ, in vsum reuocentur, ita episcoporum solertia curandum decernimus, vt minorum ordinum ministeria restituantur: fiet autem satis commode, si quos episcopus ordinarit, eos ad ministeria ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum destinarit: iis vero competenti numero instructis, per ecclesias parochiales clericos eosdem disposuerit, & in illis ad eadem ministeria obeunda destinarit.

Ad ascensum inter minores non admittantur, qui priorum ministerio, morum & studiorum testimonio non commendentur: hoc autem ipsum testimonium (si parochiam clericus, & magistrum scholæ mutarit) recipiatur saltem a parcho, & magistro, in cuius vel disciplina, vel parochia sex menses ante ordinationem fuerit.

Qui ad singulos maiores ordines erunt assumendi, per mensem, aut alias, vt edicto episcopali præstituetur, ante ordinationem episcopum adeant, qui vicario generali, aut

ANNO  
CHRISTI  
1596.

vicariis foraneis locorum, siue archidiaconis, aut cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus, & desiderio eorum, qui promoueri velint, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirant, & literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad episcopum quamprimum transmittant.

Qui ad sacrum subdiaconatus ordinem sunt prouecti, si per annum saltem in eo versati non sint, ad altiorem gradum non permittantur ascendere, nisi aliud episcopo videatur, qui vel necessitati, vel vtilitati publicæ consultum debet velle, non cupiditati, non commentitiis priuatorum causis satisfactum. Quo autem propius subdiaconi ad sacra accedunt, eo magis decet, vt diebus saltem dominicis, ac solennibus, cum altari ministrauerint in ecclesiis, quibus adscripti fuerint, sacram communionem percipiant.

Duo præcipue in ordinatione subdiaconi exquirenda, quorum primum, vt tales adsciscantur, qui sperent Deo auctore se continere posse, cum sit impuritas vel ab hoc gradu arcenda, vel in hoc ipso diligentissime comprimenda. Secundum, vt nullus admittatur, qui recitare horas canonicas ex breuiario Romano nescierit: qui, si reliqua noverit omnia, & vnum hoc ignorarit, repellendus erit.

Non decet eos, qui diuino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut minus honestam quæstus rationem exercere, vt victum decentem habeant. Idcirco sacri Concilii Tridentini decreto inhærentes statuimus, accurate obseruandum, vt nemo ad ordinem subdiaconatus admittatur, nisi legitime constet, eum ecclesiasticum beneficium, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere; ad titulum patrimonii, vel pensionis non ordinentur, nisi illi, quos episcopus iudicauerit assumendos pro necessitate, aut commoditate ecclesiarum: attente vero perspiciat, an patrimonium, seu pensio ab eisdem vere possideatur, ac talia sint, vt ad vitam sustentandam idonea sint, quæ deinceps, donec ecclesiasticum beneficium, quod sufficiat ad victum, obtinuerint; sine licentia episcopi alienari, aut extinguui, vel remitti nullatenus possint.

Episcopus familiarem suum non subditum, si per triennium commoratus secum fuerit, ordinare ex Concilio Tridentino non potest, nisi ei beneficium quacumque fraude cessante statim re ipsa offerat.

Clericos alienos cum legitimis dimissoriis recipere, si fuerint impediti illorum episcopi, & examinatos dimiserint, laudabile & honestum: hoc tamen monemus, ad episcopos recipientes ad suam ordinationem subditos alienos non pertinere vel super interstitiis ex causa non seruandis cognoscere, aut decernere; vel titulos ad quos ordinantur, qui fuerint a proprio episcopo, seu generali eius vicario approbati, aut reprobati, iudicare: hæc enim ad episcopum dimittentem pertinent.

Qui pie & fideliter in ministeriis antea actis se gesserint, & ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium: & hi sint, qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiæ vtilitatem, & necessitatem aliud episcopo videatur, ministrauerint, sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus ad salutem necessaria sunt, ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprobentur: atque ita pietate & castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari.

## XII.

Seminariorum institutionem, conseruationem, & promotionem in ecclesia Dei summe fructuosam, quo clericalis militiæ propagatur ordo, & progressio, tantopere necessariam, vt stare ecclesiastica disciplina sine illorum subsidio, & adminiculo vix possit; in prouinciæ Aquileiensis ciuitatibus audiuius, & incredibili animi iucunditate etiam vidimus: dolumus autem metropolitanam ecclesiam nostram propter maximas difficultates hæcenus seminario caruisse, quo tamen modo lætamur nunc ita carere, vt habere pene dici possit; ita enim comparata, ac pene instituta sunt, quæ ad ipsius corpus informandum, & instruendum prima & necessaria sunt, vt parum desit, quo actu perfici aliquando tandem, & breui quidem temporis spatio valeat.

Qui episcopi seminarium nondum habent, & nihil hac-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

tenus pararunt, vt aliquando haberent, monemus illos, quamprimum cogitent de seminario in sua diocesi erigendo, & sex mensium spatio nobis, quid hoc de genere cogitarint, pararint, effecerint, omnino significant. Si enim vel propter diocesis paupertatem, vel angustiam erigere seminarium proprium non valeant, erit quod cogitent, qua possint ratione, si non longe a seminario Aquileiensi absint, dimidiam decimam suæ diocesis in illud conferre, vt in idem clerici pro quantitate decimæ, & suæ diocesis commodo & necessitate inferantur, & cum reliquis clericis, qui fuerint ex diocesi Aquileiensi, alantur, & doceantur.

Quod si plures sint episcopi, qui seminarii erigendi difficultatem patiantur, ac sit in causa paupertas ecclesiarum; decernimus ex plurium episcoporum collatione debere commune seminarium quamprimum erigi & confici, vt quod singuli non possunt, vniuersi faciant; quod valeat ad singulorum vtilitatem aliquando deriuari: in quo habendam rationem decernimus fructuum, & decimæ attribuendæ singulorum episcoporum clericis; & numeri clericorum, ne prægrauetur seminarium, sed partitione quadam iusta oneris & honoris sustentetur. Si negligentes, (quod opinari non debemus) fuerint, & necessario operi erigendo defuerint; erunt partes nostræ vrgere, & quæ a sacra Tridentina Synodo sancte, pieque instituta de hoc genere fuerunt, omnino exequi, & actu perficere.

Locus seminarii si apud ecclesiam cathedralem fieri possit, non alibi optandum vt fiat; quo enim propius absint clerici, eo facilius, & minore temporis dispendio in ecclesiam se conferunt; nec diuagatione spatiari, nec longinquitatis spatio, studiorum ac disciplinæ iacturam facere coguntur. Quod si locus apud ecclesiam non pateat, ad episcopum pertinebit locum idoneum eligere, & in eo seminarii domum aptare & erigere.

Duo sunt in seminario clericorum perpetua exercitatione retinenda, vt clerici discant, & ministrent. Ex iis, quæ addiscere debent, item duo proponuntur; alterum ad pietatis, religionis, & deuotionis documenta, quod est omnium rerum certissimum fundamentum, pertinet: vt Christianæ fidei rudimenta in primis inter se iuniores ad-

discant & recitent: qui prouectiores sunt, doceant & exerceant: quod singulis dominicis & festis diebus curandum & faciendum omnino præcipimus. Curabunt item episcopi, vt singulis diebus iidem clerici Missæ sacrificio intersint, & saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini nostri Iesu Christi. Alterum pertinet ad studia: Grammatices autem, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium scientiam addiscant. Item cum primum capere animo & intelligentia possint, sacram scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac ceremoniarum formas. Pars altera ministeria respicit, quæ ab iis, qui in seminariis degunt, clericis diligenter obeunda. Sunt autem, quæ vel minorum, vel maiorum etiam ordinum executionem respiciunt, vt res videbitur postulare, & præfectus ceremoniarum singulis aut vniuersis in ecclesia præscripserit. Hæc autem vt fiant ab illis expedite, & apte, institutione, ac exercitatione diligenti curandum erit; quod præfectorum, & magistrorum solertia effecerit.

Huiusmodi vero ministeria festis diebus ac dominicis tam in ecclesia cathedrali, quam in aliis præstare debebunt; vt coram episcopo, qui fuerint instructiores, seruiant: qui tardiores, alibi: quod vt accommodate fieri aliquando valeat, in primis cupimus, seminarium apud aliquam ecclesiam construi, in qua dominicis diebus ac festis horas canonicas psallere, ac diuinis inseruire seminarii pueri valeant: hac enim exercitatione facilius ad rituum & ceremoniarum cognitionem peruenerint. Vt autem in disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque habitu clericali vtantur.

Præfecti, magistri, ministrique ad inseruiendum seminario, & domestica ministeria, etiam inferiora obeunda, adsciscantur probatæ vitæ, & spectatæ pietatis homines, qui non modo voluntate, & studio in rei conseruationem, & incrementum propendeant, sed idonei ad prouinciam sibi impositam iudicentur; in quo sit episcoporum præcipua vigilantia, & diligens sollicitudo.

Vt autem minore impensa scholis seminarii provideatur,

ANNO  
CHRISTI  
1596.

tur, ad episcopi munus spectat, scholasterias obtinentes, & alios, quibus est lectionis, vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneos substitutos ab eisdem scholasticis eligendos, & ab ordinariis approbandos etiam per subtractionem fructuum cogant & compellant. Quod si episcopi iudicio digni non fuerint, alium, qui dignus sit, nominent omni appellatione remota: quod si neglexerint, episcopus ipse deputet: docebunt autem prædicti, quæ videbuntur episcopo expedire. Meminerint autem episcopi, Concilium Tridentinum statuisse, ut officia, vel dignitates illæ, quæ scholasteriæ dicuntur, non nisi doctoribus, & magistris, aut licentiatis in sacra pagina, aut iure canonico, & alias personis idoneis, & qui per seipsos id munus explere possint, conferantur, & aliter facta prouiso nulla sit, & inualida; ideoque id decretum diligenter obseruari episcopi curent.

At vero ad seminarii fabricam instituendam, & mercedem præceptoribus, & ministris soluendam, & ad alendam iuventutem, & ad alios sumptus cum certi redditus sint necessarii ultra ea, quæ ad instituendos, & alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis & locis destinata; quæ ei ipsi seminario ex Concilio Tridentino applicata censenda sunt: debent ab episcopo cum consilio eligendorum ad ipsius Concilii præscriptum ex fructibus integræ mensæ episcopalis, & aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ sunt ab ipsomet Concilio Tridentino sigillatim expressa & nominata, portiones, aut partes aliquæ detrahi, quibus tota seminarii impensâ fulciatur & sustineatur.

Vt autem aliquando tandem beneficia portionibus prædictis detrahendis leuentur ac liberentur, sit episcopalis caritatis & sollicitudinis munus, beneficia aliquot simplicia, cuiuscumque qualitatis ac dignitatis fuerint, vel etiam præstimoniam, vel præstimonialia portiones nuncupatas ante vacationem sine cultus diuini & illa obtinentium præiudicio, de consilio duorum de capitulo, ac item duorum de clero, seminario applicare, & incorporare, etiam si beneficia sint reseruata, vel affecta. Succedente vero casu, quo per vniones effectum suum sortientes, vel aliter seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum repe-

riatur, tunc portionem ex singulis beneficiis, vt supra, detractam, & incorporatam decernimus ab episcopo, prout res exegerit, in totum, vel pro parte remittendam.

De reuerendissimorum coepiscoporum pietate, ac diligentia hoc nobis pollicemur, nunquam fore, vt portionem de mensa episcopali detrahendam, & seminario applicandam soluere recusent; sed ipsi ceteris exemplo prae-eant seminarii erigendi, & prouehendi, & suum praecipue munus hac ipsa de re prompte exequendi, cum sacro Tridentino Concilio cautum sit, vt detrectantes corripiantur, & compellantur.

Totum vero seminarii opus, vt bene dirigatur, debet certorum hominum diligentia, pietate, prudentia, ac fide sustineri. Eligant igitur episcopi singuli duos ex canonicis senioribus, & grauioribus, prout Spiritus sanctus suggererit, quorum consilio ad seminarium gubernandum, & prouehendum, quae fuerint opportuna, & necessaria constituent, & exequenda mandabunt: dycolos & incorrigibiles, malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo.

Iidem episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero ciuitatis; quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum; alterius ad clerum pertineat; portiones de mensa episcopali, ac ex fructibus aliorum beneficiorum quorumcumque in Concilio Tridentino pro contributione ad seminarium instituendum & conseruandum expressorum detrahent, & seminario applicabunt, vt opus, cui sustinendo necessaria est non mediocris impensa, ac praeterea plurimarum rerum circumspccta prouisio, episcopali sedulitate, & adscitarum personarum adiumento egregie pro Dei gloria muniatur, & sustineatur.

In primis vero si qua haecenus beneficia, vel quia proximo tempore instituta, vel per incuriam (non enim putamus per industriam) omissa decimali taxa, comprehensa non fuerunt, illa curent episcopi eadem, qua reliqua beneficia, dimensione carpi, & pari decimationis lege limitari & concludi.

Quae suprascripta omnia & singula pro regionis more,

ANNO  
CHRISTI  
1596.

& pro ecclesiarum, & beneficiorum qualitate, etiam si opus fuerit, moderando, & augendo episcopi ad felicem seminarii profectum necessaria, & opportuna decernere, ac providere poterunt.

Leue est, quod puerili ætati insitum est, vt vel minimo negotio deleatur & extingatur: idcirco summopere laborandum, vt qui pueri in seminarii disciplina educantur, & pietatis studio, ac modestiæ lege adstricti sunt, ab ea non discedant, quamdiu confirmatiores fuerint: quod animaduertentes episcopi acute prospicient, ne pueri, dum in instituta seminarii educatione viuunt, permittantur a disciplina discedere, & libere diuagari sine magistro, custode, & reliquorum puerorum communi victu, & exercitatione. Vt alicubi factum est, habent post studia & obedientiam recreationes liberiores ætati conuenientes, & profellioni: ad laxiora ne dimittantur.

De seminariis, vbi diœceses tenuitate laborant, Tridentino Concilio statutum est, vt ad plurium prælatorum commoditatem, & plurium contributione commune aliquod seminarium constituatur. Cuius decreti auctoritatem sequentes, statuimus in tota Istria pro illius regionis episcopis vnicum, ac illud quidem commune seminarium institui pro communi religionis commodo ad cleri propagationem, & ecclesiasticæ disciplinæ restitutionem.

### XIII.

Maxima gubernii ecclesiastici pars & ratio viget, vt episcopus ecclesias, loca, & populos visitando perlustret, & quæ accessu, fide dignorum testimonio, ipsa inspectione cognouerit emendanda, & corrigenda, corrigat, & emendet: Idcirco sacra Tridentina Synodo cautum est in omnibus, quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum spectant; vt episcopi, quo aptius, quem regunt, populum in officio, & obedientia contineant; ius, & potestatem habeant, etiam tamquam sedis apostolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi, & exequendi iuxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac diœcesis suæ vtilitate necessaria videbuntur. Nec in his, vbi de visitatione, ac morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio, appellatio,

Concil. Tom. 36.

Nnnn ij

seu querela, etiam ad sedem apostolicam interposita, executionem eorum, quæ mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquo modo impediatur, aut suspendatur.

Debent autem episcopi suam diocesim per seipso, aut, si legitime impediti fuerint, per suum vicarium generalem, aut visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem visitare; ita tamen, ut biennio per se, vel visitatores suos visitatio compleatur.

Sit autem visitationis scopus visitantibus propositus, ut sanam, orthodoxamque doctrinam expulsis hæresibus inducant; bonos mores tueantur, prauos corrigant; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendant: in quo ad paternam episcoporum caritatem, Christianumque zelum pertinebit; omnes amplexari, ut modesto etiam contenti equitatu, ac famulatu quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem absoluant, omnia exquirant, caute audiant; non facile admittant, aut probent: ita tamen quæ afferuntur, recipiant, ut nec fidem habeant, nec fidem denegent: duce vero Christiana prudentia probent, quæ vera, quæ recta, ac sincera sunt: quæ commentitia, calumniisque infecta, aut dolo, dispiciant: ut, qui semel detulit, non iterum, ut deferat, spe commodi vlla ducatur.

Cum ad visitationem egredi episcopus animum induxerit, parumper seipsum colligat, ac meditetur profectio- nis suæ causam: si enim cogitatione perspexerit, se aliorum vitam, mores, actiones examinandas suscipere, ut corrigat, emendet, restituat: certe ipse satis intelliget, a domo & familia sua visitationem instituendam, cuius exemplo vel tacitus prædicabit reliquis Christianas virtutes: ut, si domum, & familiam non bene compositam, otio, & leuitate diffluentem pro negligentia aliis præbuerit videndam; fructum vniuersæ visitationis perdidit, quod licet videatur simplici quodam sermonis contextu propositum, ad duo tamen, quæ maxima sunt in hoc genere, pertinebunt.

Primum est, ut talem se forma vitæ, famulatus, & familiæ modestia episcopus præbeat, qualem habere populus exemplaris ad imitandum propositi loco possit.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Alterum pertinet ad ipsam visitationem: quid enim si episcopus castitatem, modestiam, pietatem, omnes Christianas virtutes indicat, prædicet, inculcet; in domo vitia vigeant, perulantia, lasciuia, temeritas? quod si suos correxerit, ac bene composuerit, omnes in Dei opere adiutores habebit.

Æquum est, vt visitatio, cuius vis est ad ordinem restituendum instituta, certam quamdam methodum habeat: ac, vt scripsit Psalmographus: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron, & in oram vestimenti eius:* a capite incipiat, & in membra constituta quadam norma progrediatur ac diffuat.

Visitationis ordo sit, vt, cum fieri potest, primo ciuitas visitetur, deinde diœcesis: in ciuitate vero ecclesia cathedralis, tum collegiata, deinceps parochiales omnes: ac, vt a matre pendent reliquæ ecclesiæ forma, imitatione, ritu, ita ratio suadet, vt clerus vniuersus, qui visitatione ciuitatis comprehenditur, euocetur, & assistat, ac rationem addiscat reformationis. Perfecta ciuitatis visitatione in opida, castra, pagos, villas exeundum. Item beneficia ecclesiastica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo vnita, & annexa reperiuntur; singulis annis visitentur, & solícite prouideatur, vt per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, cum congrua fructuum assignatione super certa re assignanda, deputatos, seu deputandos animarum cura laudabiliter exercentur.

Item ad episcopos pertinet, ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate apostolica singulis annis visitare, & opportunis iuris remediis prouidere, vt, quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime fraudentur, appellationibus, priuilegiis, consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præscriptis, iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus non obstantibus: quæ omnia Concilii Tridentini decreto explosa fuerunt. Præterea capellas quascumque, & ad diuinum cultum dedicata oratoria, in quibus Missæ sacrum celebratur: item ho-

spitalia, & pia loca visitare episcopi non omittant: & in iis emendanda, & restituenda restituant, & emendent.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Quia in diœcesi quæcumque ad Dei cultum spectant, ab ordinario curari, atque iis, quæ oportet, prouideri æquum est: idcirco sacra Tridentina Synodo statutum est, vt episcopi commendata monasteria, etiam abbatias, prioratus, & præposituras nuncupatas, in quibus non viget regularis obseruantia; nec non beneficia tam curata, quam non curata, sæcularia & regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, etiam tamquam sedis apostolicæ delegati annis singulis visitent, curentque congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, vt, quæ renouatione indigent, aut restauratione, reficiantur: & cura animarum, si qua illis, vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia recte exercentur. Quod si in eis regularis vigeret obseruantia, prouideant episcopi paternis admonitionibus, vt eorum regularium superiores iuxta eorum regularia instituta debitam viuendi rationem obseruent, & obseruari faciant, & sibi subditos in officio contineant, ac moderentur: quod si admoniti intra sex menses non visitauerint, vel correxerint, tunc episcopi etiam vt sedis apostolicæ delegati eas visitent, & corrigant, prout ipsi superiores facere possent, ac deberent.

Ac ne ecclesiis sæcularibus, quæ nullius diœcesis appellantur, deesset ea, quæ interdum desideratur, prouisio, & subsidium; sacra item Tridentina Synodo statutum fuit, id quod episcopi solícite perficere curabunt, vt ipsi, quorum cathedralis ecclesia proximior est, si id constet, tamquam sedis apostolicæ delegati dictas ecclesias, quæ in nullius diœcesi esse dicuntur, visitare non omittant: aut ille episcopus, quem semel in Concilio prouinciali prælatus illius loci elegerit.

Ac ne quisquam clericus cuiusuis alterius priuilegii prætextu censeatur tutus, quo minus iuxta canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi possit, eodem sacro Concilio Tridentino episcopis, qui in suis ecclesiis resederint, tributum est, vt qualitercumque exemptos, qui alias suæ iurisdictioni subessent, de illorum excessibus, criminibus & delictis quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitatio-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

nem tamquam ad hoc sedis apostolicæ delegati corrigendi, & castigandi facultatem habeant.

Quod vero in munere pastoralis exequendo patres, qui Tridentino Concilio interfuerunt, episcopis præscripserunt, vt aliquid propositum haberent, quod intuerentur, & sequi in reformandis moribus possent, hoc nos in memoriam reuocare præfenti constitutione decreuimus, vt oculis illorum obuersetur, & omnino hæreat. Meminerint ergo episcopi, qui subiectos regere, & in vitæ, ac morum honestate continere volunt, se pastores, non percussores esse, atque ita præesse subditis oportere, vt non eis dominantur, sed illos tamquam filios, & fratres diligant, elaborentque, vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne, vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur: quos tamen si quid propter humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis obseruanda præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia: cum sæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam auctoritas: plus exhortatio, quam comminatio: plus caritas, quam potestas. Sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est, vt sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conseruetur: & qui correcti fuerint, emendentur: aut, si respiscere noluerint, ceteri salubri in eos animaduersionis exemplo a vitiis deterreantur, cum sit diligentis & pii simul pastoris officium morbis ouium leuia primum adhibere fomenta: post, vbi morbi grauitas ita postulet, ad acriora & grauiora remedia descendere: sin autem nec ea quidem proficiant, illi submouendi; ceteras saltem oues contagionis periculo liberare.

Visitantis episcopi munus est, prædicatione verbi Dei populos ad omnes virtutes Christianas animare, & incendere, sacramentum confirmationis ministrare, ecclesias & altaria, si qua fuerint vel consecranda, vel reconcilianda, consecrare, seu reconciliare: paramenta, corporalia, calices, & alia, quæ benedictione egent, & ad cultum sacrum destinata sunt, benedicere: sacrificiis, & ecclesiis vel resarciendis, vel ornandis, vel etiam instruendis intendere, de

cura animarum recte sustinenda inuestigare, ecclesiasticorum diligentiam excitare, & corripere; mores illorum opportunis remediis emendare; omnia denique efficere, vt sacramentorum ministerio, sacrorum frequentia, verbi Dei prædicatione, & salutaribus monitis, exemplo denique vitæ populus instituatur, & in viam cælestium mandatorum prouehatur, nec omittant episcopi populi vitam inuestigare, deuotionem, & refrigescentem caritatem ad bonum reuocare; præceptorum diuinorum auctoritatem inculcare: vsurariorum, concubinariorum, sacrilegorum piacula, & vitia insectari, vt resipiscant per gratiam Dei, & melioris vitæ rationem ineant. Quia vero particularia, quæ iis, quæ vniuerse prædiximus, continentur, quo enucleatius inspicientur, eo fortasse fructuosius visitatoriæ actioni prodescent, statuimus libellum tamquam memorialem pro visitatione singularum dioceseon prouinciæ Aquileiensis edendum esse, quo particulatim omnia, quæ visitatione promouenda sunt, tam necessaria, quam opportuna contineantur: ad quem conficiendum quia multa sunt, & varia, & vndique ex tota prouincia colligenda; reuerendissimos coepiscopos nostros requirimus, vt singuli aliquid hoc de genere conficere, & nobis, cum primum licuerit, mittere velint, vt inde communem quamdam visitandæ prouinciæ methodum habeamus, & in tota sit prouincia bene constitutum, quod ad singulas illius partes sit accommodandum.

De visitatoribus inferioribus, aut archidiaconis, aut deputatis a capitulis, seruetur quod in Concilio Tridentino constitutum est, de ipsorum approbatione, notarii assumptione, rationis eorum, quæ visitatio complexa est, redditione, depositionis testium, & omnium actorum exhibitione, vt inspiciantur ea quæ inferiores agunt, indicunt, præcipiunt, an cum ratione conueniant, & cum episcopalis visitationis præscripto, & constitutionibus, quæ in Synodo editæ sunt, consentiant.

Pro visitatione notariis non permittendū vt quidquam vel sponte oblatum accipiant; procuracionem vero modestam exhiberi (vbi consuevit) curent episcopi; ne grauis, onerosa sit visitatio; quæ oneribus leuare, fasciculos impietatum soluere, expiare omnia debet. In iis vero locis,  
seu

ANNO  
 CHRISTI  
 1596.

seu prouinciis, vbi consuetudo est, vt nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant; ibi id seruetur. Si quis autem contra sacri Concilii Tridentini præscriptum aliquid accipere præsumpserit, in eum erit iuxta eiusdem Concilii sanctionem grauitè animaduertendum.

XIV.

FESTOS dies in honorem Dei, & sanctorum eius institutos ad gratias Deo agendas de beneficiis, quæ a liberalissima eius manu accepimus, veniam peccatorum petendam, & opem diuinam implorandam seruari decet, vt omnium sæculorum memoria, etiam veteris testamenti pagina contestatum habemus: quo magis debemus seruare nos, qui in lucis veritate versamur, quam ii, qui in vmbra futurorum ante solis ortum sedebant. Tempus autem diei festi in audiendis concionibus, Missæ sacro, & diuinis officiis ponendum est; non in comestationibus: multo minus peracto prandio ad saltationes, & lusus declinandum; cum sit in ecclesiis ad horas vespertinas audiendas diuertendum, & nomen Dei concorditer, & deuote, vel silentii meditatione, vel vocis exultatione laudandum. Quod curabunt episcopi curatorum diligentia populis inculcari.

Cum vero festi dies, & alia dominico die in parochialibus ecclesiis populo denuntianda sint, parochis omnibus districte præcipiendum statuimus, vt in parochialibus ecclesiis omnibus dominicis diebus anni (non obstante quauis consuetudine contraria) Missam celebrent, & festos dies, vigilias, & tempora ieiuniorum populo promulgent, eundemque doceant, quæ seruanda, & quomodo seruanda sint: in eos autem, qui defecerint tam in Missa, quam in aliis, pœnis seuerioribus statuimus animaduertendum; populum vero monendum, & frequentius incitandum edicimus, vt dominicis saltem, ac festis diebus ad parochialem suam accedat, & ibi Missæ sacrum, & concionem audiat.

Abusu factum est, vt in pagis, sicubi festus dies venerit dedicationis ecclesiæ; qui solet idem in dominicum, aut alium diem festum incidere, curati, qui ab omni parte circumfistunt, ad festum dictæ dedicationis confluant, & po-

pulos sua profectioe Missæ sacro diebus etiam solenni-  
bus fraudare non vereantur, quod aut avaritiæ labem præ  
se fert, aut certe vel ambitionis, vel conuiuii appetendi  
cupiditatem indigne olet. Hoc corrigentes episcopi om-  
nino tollent, in eam formam redigentes vniuersam hanc  
rationem, vt serio præcipiant curatis omnibus, ne ab ec-  
clesia sua discedant in casu supradicto, nisi prius sacrum fe-  
cerint, & populi piæ expectationi indulserint, & officium  
suum executione, & actu impleuerint; alieniores qui  
sunt, debitis pœnis coercentes.

Inoleuit abusus, ille quidem a memoria, nedum a con-  
suetudine fidelium tollendus, vt solennioribus quibusdam  
diebus vel dedicationis ecclesiæ, vel die natalis sancti ti-  
tularis, vel patroni, cum frequens populus ad ecclesiam so-  
lennitatis, ac deuotionis causa venit, vt veniam Deo pec-  
catorum precetur, vota que sua humiliter offerat, eiusque  
misericordiam in suam tutelam & subsidium imploret,  
non sine Dei offensione, & scandalo bonorum choreas du-  
cat, & Gentilitiis quibusdam ritibus se totum dedat: ynde  
committendorum peccatorum occasio non leuis; dein-  
de blasphemix, ebrietates, & periculosa interdum rixæ,  
& homicidia subsequuntur: & festi præsertim dies præpo-  
tentis Dei laudibus destinati, ipsius summi Dei graui cum  
iniuria traducuntur, ipsis pene ecclesiarum foribus profa-  
natis. Idcirco statuimus per episcopos singulis ecclesiarum  
parochis, curatis, & vicariis præcipiendum districte, &  
sub interminatione diuini iudicii mandandum, vt, quan-  
tum possunt, tantum nitantur, quo abusus, & corrupte-  
la huiusmodi tollatur: semel autem singulis mensibus pri-  
mo dominico die mensis decretum hoc populo promul-  
gent, & intimare studeant: ipsi autem pro viribus curent,  
vt populum, parochianos in primis suos, ab huiusmodi  
corruptione auertant, & pro virili abducant, cum dies  
festos ad gloriam Dei institutos sine scandalo, & peccato  
ducere oporteat. Magistratus autem & dominos quos-  
cumque ius dicentes temporales per misericordiam Dei  
obsecramus, ne prætextu iurisdictionis tuendæ (quæ si ti-  
more Dei, & reuerentia sacrorum non nitatur, incerto nu-  
tare statu, & concidere facillime solet) graue hoc piaculum  
defendere, & auctorizare conentur: illis enim omnibus,

ANNO  
CHRISTI  
1596.

& singulis edicimus, & obtestamur coram Deo, & angelis, & hominibus, omnia scelera, & peccata, quæ præmissorum occasione patrari contigerit: illis, inquam, qui diem sanctum, & locum sacrum, vel sacro harentem violarint, ac temerarint, seu causam deliberate dederint, vt violari, seu temerari possent, tributum iri. Capitulis vero, collegiis, & vniuersitatibus ecclesiasticis tam virorum, quam mulierum, qui iurisdictionem habent temporalem in loco, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ; officialibus autem dictarum vniuersitatum, siue collegiorum, aut capitulorum, si ecclesiastica personæ sint, sub excommunicationis pœna prohibendum decernimus, ne talia permittant, cum impediendi potestatem habeant; ne zelo timoris Dei, & salutis animarum studio ad maiora sit remedia confugiendum.

Indulgentias, quæ festis quibusdam diebus, aut etiam non festis proponuntur, & vnum vel plura habent sigilla, si clausula sit interiecta: Porrigendi manus adiutrices: vt erat superiorum temporum frequens consuetudo; sublatas per constitutionem Pii quinti fuisse declaramus, & per consequens ab ecclesiis, & locis sacris tolli omnino iubemus.

Expedit, vbi hæctenus solertia episcoporum prouisum non fuit, vt festi dies in Synodo diœcesana promulgentur, & curatis graui præcepto mandetur, vt ad illius promulgationis præscriptum populo indicant festos dies per annum currentes, quibus a sæcularibus operibus cessari debet, ita tamen vt, quod quietis corporalis rationem habet, vt vacari Deo animis attentioribus possit, ne diuersè pro arbitrio irreligioso traducatur; imo toti illi dies pietate, & diuinorum interessentia, & sacris precibus, & officiis agantur. Instituatur autem populus curatorum diligentia, quid illis diebus fieri, quid non fieri oporteat; & culpam reatus, & reuerentiam dierum sanctorum, & mandatorum obedientiam inculcent. Nos autem existimantes, si particulares sancti diœcesanon, & ciuitatum patroni solenni vbique ritu celebrantur; æquum esse, vt etiam vniuersalium patronorum ratio habeatur, quæ tantæ prouinciæ pietate, ac deuotione dignissima est; præfenti decreto vniuersæ prouinciæ Aquileiensi festum diem indicimus natalem gloriosissimorum martyrum san-

torum Hermagoræ, & Fortunati, ecclesiæ & prouinciæ Aquileiensis patronorum, quotannis die duodecima Iulii duplici officio celebrandum: vt, qui clarissimo fidei testimonio, & triumphali sanguine ecclesiæ Aquileiensis initia dedicarunt, eorumdem gloriosa merita piis supplicationibus prosequamur, & patronos gratis animis agnoscamus, quorum certissimo patrocinio muniti sumus.

Episcoporum pietatem & prudentiam compellamus, & pro dierum festorum solennitate obseruanda studiose excitamus, vt apud magistratus temporales ciuitatum attente agant, eorum subsidium, & auctoritatem implorent, vt in ipsis ciuitatibus, opidis, castris, & villis festorum dierum obseruatio omnino vigeat, & populorum deuotio, & religio conseruetur: qui vero peruicaciores fuerint, & irreligiosi etiam plectantur, vt resipiscant ipsi: alii quid deceat, addiscant.

Quod de genere prohibitorum non est, & profanis locis exerceri potest, hoc idem sacris exerceri non debet. Monemus igitur episcopos, & illorum pietatem, ac religionem requirimus, vt nullo quocumque pretextu, solennitate, actione, etiam alicuius sacramenti ministerio permittant in solo sacro, qua confluentis est populi aditus, aut alibi, quidquam venale cuiuscumque conditionis, aut naturæ, constitui, aut vendi; sed indulgentiæ, aut stationis, aut alterius solennitatis ecclesiasticæ tempore, vel alio quouis populorum concursu ab ecclesiæ vestibulo, ac toto ambitu venalia cuiuscumque generis omnia & singula, licet sint minimi precii, amoueant, & opportunis remediis etiam inuocato brachio sæculari deducant, & auertant: multo vero magis in ecclesiæ vestibulo quocumque pietatis, & religionis colore mercenarios actus exerceri prohibeant: hæc vero a pietate Christiana, & locorum sacrorum reuerentia aliena longe arceri etiam ab ecclesia mandamus, ne strepitu populi diuina & sacra perturbentur. Duo vero in primis debent episcopi apud se perpendere; tempus diei festi, quo ad mercimonia, & humanorum contractuum anfractus diuertere non decet, ac periculo non vacat: locum, in quo Dei bonitas cum placari supplicantium votis deberet, fraudibus tamen, & mendaciis, quæ frequenter in mercaturæ negotio contingunt, offenditur, & irri-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

tatur. Agant vero, vt laudetur Deus, & ministerio pastora-  
li abusus, qui late dimanarunt, ratione aliqua tollantur.

X V.

Sanctorum reliquias in cælo regnantium, quæ viua fuerunt membra Christi Domini, & Spiritus sancti templum, in honore haberi pietas præcipit, Christiana ratio suadet. Quia vero deferendi honoris est norma tradenda, vt disposita quadam ratione honor, qui defertur, eluceat: præcipimus episcopis, si qui partem istam nondum expolitam habent, vt in ecclesiis, in quibus est reliquiarum celebriorum quantitas, illas omnes distincto quodam ordine in reliquiarium arte dispositum & expolitum inferant, crystallo singulis thecis superadieccto, vt videri reuerenter possint, sit tamen reliquiario adiecctum operimentum ex tabula picta, qua imagines illorum sanctorum exprimentur, vel aliquid aliud, quo gloria, qua illi fruuntur in cælis, apte significetur. Reliquiarii locus in parte nobiliore ecclesiæ selecto aliquo sacello, aut intra chori septa, aut alibi decenter constitui debet, cui lampas perpetuo incendatur, si per ecclesiæ facultates fieri possit; quod si reliquiæ ex fragmentis minutioribus constent, obuoluantur reliquiæ serico aliquo tenui, in quo sit color sancto conueniens, ex iis, quos illorum sanctorum die adhibere ecclesia solet: obuoluta in reliquiario cum scheda nominis inserto supra crystallo conseruentur. Quia vero inter reliquias aliquæ sunt certæ, & separatim habitæ: aliquæ sunt certæ, sed ex pluribus mistæ: aliquæ vel mistæ, vel separatim incertæ, ab antiquitate approbatæ, sed schedarum & nominum vel abolitione, vel consumptione incertæ: de singulis aliquid statuere oportet, vt varietate quadam inscriptionum nec reuerentia desit, nec certa, vbi licet, cognitio desideretur.

Certis igitur reliquiis, & separatim conseruatis, siue extra sericum, quia insignes, siue intra sericum, quia minutiores, statuimus esse per schedulam formati characteribus inscribendum sancti proprium nomen: iis autem, quæ ex pluribus mistæ sunt, inscribatur: Sacræ reliquiæ sanctorum N. N. N. Si vero ignorantur nomina sanctorum, inscriptio sit: Sacræ reliquiæ sanctorum, quorum nomina ignorantur.

Inter ista episcopos monemus de reliquiis insignioribus, quales sunt, caput integrum, brachium, aut tibia, vel similes: posse illas decentius in vasis propriis, quæ apte manu artificis expolita sint, honesto loco asseruari, vt etiam in processionibus publicis, præcipue si sanctorum patronorum sint, efferantur, & publicæ venerationis honore, sacrisque obsequiis in patrocinium, & subsidium apud Deum vocentur: quod tamen animaduertendum erit, ne vnquam in processione, qua sanctissimum effertur eucharistiæ sacramentum, exportentur.

Reliquias sanctorum, qui fulgent sicut sol, & tamquam scintillæ in arundinetis discurrunt, ostendi populo luminibus accensis conuenit ac decet: vt enim, quod debetur sanctorum gloriæ, obsequio religioso præstatur, ita etiam fit, vt piorum excitetur deuotio, & eorundem supplicationes in sanctorum inuocationem ad humanarum imbecillitatum subsidia ardentius intendantur.

Sacrarum reliquiarum publicam propositionem aliquo solenni die fieri religiosum, & optabile, modo absit superstitio, & auaritia, ac turpis eliminetur quæstus: idcirco statuimus episcoporum diligentia faciendum, vt cum publicæ venerationi in ecclesia sacre reliquiæ proponuntur, ne permittant capsulas apponi ad eleemosynam colligendam, quæ alibi colligi potest, ibi non debet, quasi ad quæstum, & lucri commodum, non ad pietatem, & deuotionem proponantur.

Corpora sanctorum transferri quidem non possunt sine sedis apostolicæ licentia. Reliquiæ insignes de loco ad locum transferri ita demum poterunt, si episcopus decretum in archiuo episcopali, & libro particulari seruandum ad rei gestæ perpetuam memoriam fecerit, cur id fieri permiserit: translationem vero solennem institui, cum res ita tulerit, præcipimus: de loco nobiliore ad ignobiliorem, vt de ciuitate in pagum, transferri prohibemus: nec episcopi ferre debent, nedum concedere, vt fiat. Ipsi autem solennioribus diebus, quibus reliquiarum sacrarum vel publica propositio fiet, vel translatio, vel visitatio, curent episcopi, vt moneatur populus, ne comestationibus, & ebrietati se dedat: qui enim sanctorum festiua gaudia celebrant, sanctorum debent ve-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

stigia sequi, non suffragiis, & patrocinio se illorum indignos præbere.

Reliquiarum nouarum exhibitionem, & publicam propositionem, itemque nouorum miraculorum receptionem, etiam in ecclesiis regularium, sacri Tridentini Concilii decreto interdictam & prohibitam esse omnes nouerint, nisi prius ab episcopo loci recognita, & approbata fuerint: qui, simul atque de iis compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis, & aliis piis viris, ea faciet, quæ veritati, ac pietati consentanea iudicauerit. Quod si aliquis dubius, aut difficilis abusus extirpandus sit, vel omnino aliqua de iis rebus grauior quæstio incidat; episcopus antequam controuersiam dirimat, metropolitani, & comprouincialium episcoporum in Concilio prouinciali sententiam expectet: cum nihil inconsulto sanctissimo Romano pontifice nouum, aut in ecclesia hæctenus inusitatum vel admitti, vel decerni liceat.

Reliquiarum integrum inuentarium, quæ in ciuitate, & diocesi sunt, in episcopalibus archiuis conseruari cupimus, & mandamus.

XVI.

Domus Dei, quam decet sanctitudo, domus orationis & sanctitatis, munditie excellere debet; ut fiant in ea rite diuina & sacra; postulationes etiam, preces, & vota Deo soluantur: hanc tamquam sponsam episcopi factam tectam conseruari, & non solum rebus ad sacra peragenda necessariis, & opportunis institui mandent & præcipiant; sed iis etiam, quæ locum decent, ornari: solum bene stratum, parietes purgati, cultus vniuersus honestissimus; altaria non constituentur noua; non fiant iconæ pictura, vel sculptura cuiuscumque ecclesiasticæ historiæ episcopis inconsultis, & dum consuluntur, proponatur integra plenaque intentio extruere volentium: a sacris enim imaginibus debet omnis picturæ lasciuia abesse, ne procaci venustate pingantur, aut curiosius ornentur. Debet historiæ veritas exprimi, pietas excitari. Intra scabellum, siue basin iconæ, vel intra thecam iconæ, vel post iconam nihil omnino seruetur: sint munda, sint expedita omnia. A cornu euangelii, sicubi fuit olim in pariete custodia sanctissimæ eucharistiæ, & adhuc fe-

fenestellæ pictam habent, aut insculptam imaginem Christi Domini, aut inscriptionem, ex qua colligi posset, ibi esse sacramentum corporis Christi; tollantur imagines, & signa huiusmodi, ne in re maxima errandi occasio præbeat. In dictis fenestellis bene munitis seruentur olea sacra in vasculis argenteis sub sera firma, & clavi. Altaria sint solida circumcirca, vt nihil sit a parte posteriore diuerticuli vacui propter sordes auertendas. Ipsa custodia sanctissimæ eucharistiæ vestiatur intus panno serico, seu villuto rubei coloris: in supposito corporali pyxis locetur: in pyxide supponatur corporale, in quo particulae sacramenti resideant: si tamen pyxis interius sit bene leuis, & splendida, atque inaurata, vt nihil asperum, aut inæquale appareat, in ea poterit sine corporali sacramentum reponi: ad pixidem contegendam adhibeatur velum sericum aureis, siue argenteis lineis distinctum, aut alia ratione splendidum, & conueniens, quo a summo ad imum tota pyxis operiatur: vas, & operculum pyxididis sit ex argento: si pes pyxididis propter ecclesiæ paupertatem fieri argenteus non potest, fiat ex ære; tota vero pyxis inauretur.

Custodia in altari bene firmetur, ne moueri loco possit: pro ipsa vero custodia conopea comparentur colorum ecclesiasticorum, quæ plebani, & curati, siue sacristani pro temporum, & solennitatum varietate ad custodiam contegendam adhibebunt. Clavis custodiæ firma sit, sit etiam pulchra & inaurata, vbi potest; si minus potest, saltem sit lucida, & chordulæ sericæ rubæ inserta cum flocco filis sericis & aureis conferto, quæ a plebanis, & curatis diligenter seruetur. Intra custodiam nihil omnino si præter pyxidem, & sacramentum.

Fornix, textum, pauimentum, munditie & cultu splendeat: parietes omnes scriptionibus quibuscumque mudentur: vasa lapidea pro seruando oleo ab ecclesiis asportentur: frustra imaginum sanctorum, ipsæque imagines, quæ vetustate consumptæ sunt, & alia ecclesiastica lacerata, seu fracta quæcumque combustibilia incendantur, & mittantur cineres in piscinam sacrarii.

Sepulcra, quæ fiunt in ecclesiis, præcipimus opere prefo extrui, vt nihil emineat, quod incedentibus impedimento

ANNO  
CHRISTI  
1556.

mento fit. Ecclesiæ pauimentum seruetur integrum, nec rumpatur nisi ob sepulcrum muro & fornice construendum. Cruces, calices, nomen venerabile Dei, imagines Dei & sanctorum insculptæ, siue inscriptæ sepulcris, vel in solo ecclesiæ, quamprimum omnino tollantur; nec lignæ cruces mortuorum tumulis in cœmeteriis figantur, ne sacrorum signorum conculcatione irreuerentiæ culpa committatur.

Fenestræ ecclesiarum, quibus a priuatorum domibus in ecclesiam intropicitur, vitris & clathris ferreis muniantur, nec aperiantur.

Sumptus omnes, qui ad ornanda altaria necessarii sunt, fiant ab iis, a quibus ante fieri consueuerant.

Missalia non tolerantur, quæ non sint post Concilium Tridentinum correctæ, & a Pio quinto edita.

Quod fuerat antiquis temporibus pie & laudabiliter institutum, posteriorum temporum iniquitate a recto sui ordinis instituto deflexit; vigilantibus enim populis apud ecclesias, & memorias sanctorum nocturno etiam tempore frequentantibus, nihil fuerat olim vel petulantia corruptum, vel sacrilega temeritate fœdatum: quod posteriorum temporum nequitia & grauiorum malorum commissione obsoleuit. Auditum vero est adhuc quibusdam locis mulieres vigiliis sanctorum in ecclesiis pernoctare: quod ne fiat, ne prætextu pietatis aliquid grauius contingat, statuimus, prædictum agendi vigiliis ritum omnino tollendum esse, ac modis omnibus ab episcopis delendum, ne, quod est summe periculosum, vel conuiuentia, vel negligentia perseueret.

Ecclesiam, in qua fiunt sacra & cultus diuinus eo ordine peragitur, externis vacare impedimentis conuenit: idcirco decernimus concursationes pauperum, quorumcumque etiam miserabilium, qui celebrantibus & orantibus in ecclesia impedimento sunt, ab omnibus ecclesiis, cum sacra fiunt, arcendas esse: permittantur autem pauperes in ecclesiæ foribus eleemosynæ petendæ causâ consistere; modo ne vocibus obstrepant, vt exaudiantur & diuina perturbent.

In ecclesia, qua domus est sanctæ conuersationis & pietatis, diuersari honestissime æquum est, vt etiam Apostoli dicto monemur, qui præcepit mulieres velari propter an - 1. Cor. 11.

gelos Dei. Curandum est igitur per episcopos, vt in ecclesiis, dum sacra celebrantur, mares distincto ordine a feminis maneant, & feminae non nisi velato capite in ecclesiam ingrediantur: quod vbique seruari etiam iuxta doctrinam apostolicam æquum esset.

ANNO  
CHRISTE  
1596.

Deambulationes, excursationes, peruicacem curiosorum petulantiam longe ab ecclesia arcendam decernimus; ita acta iudicialia, tractatus sæculares, instrumentorum, & contractuum quamcumque speciem; item repositiones mercium, tabularum & quorumcumque profanorum in ecclesiis omnibus fieri prohibemus: quod regulares etiam in suis ecclesiis diligenter seruabunt.

Quibusdam locis abusu inductum, quotidianaque consuetudine receptum est, vt humili orti loco homines & coniugati, licet non desint clerici, qui munus huiusmodi obire possent; nec habitu animi, nec decenti corporis cultu apti, ministeria in ecclesiis exercent, quæ clericorum propria sunt; celebrantibus ministrantes, altarium ornatui & ecclesiæ totius cultui seruientes; cum tamen ista omnino ignorent, & a re sacra & sacris hærent tractanda & custodienda alieniores habeantur & appareant. Idcirco sacrorum Canonum constitutionibus inhærentes, quibus cauetur, vt in pagis & in villis, nedum in ciuitatibus & opidis, curati clericum apud se habeant, qui minorum ordinum officia exercent; curent episcopi omnibus, quibus fieri potest, locis, in omnibus ecclesiis curatis tam ciuitatum, quam opidorum, pagorum & villarum, stipendium ei solitum assignari; qui cum sæcularis sit & coniugatus, ac ineptus, totius ecclesiæ curam hæcenus gessit; deinceps attribuat clerico, qui sacerdoti celebranti cum superpelliceo ministret, cum psallente cantet, lectiones in ecclesia legat, ecclesiam & altaria curet, doctrinam Christianam doceat, toti ecclesiæ munera minorum ordinum obeundo præsit, & sub sui sacerdotis obedientia & disciplina viuat.

Hic autem clericus ætatis eius sit, vt hoc obire officium possit, natalibus habilis, grammatices non ignarus, ad disciplinam & peritiam literarum non ineptus, voluntate & sacramentorum frequentia a pietate non alienus, in habitu, ac tonsura clericali assiduus; vt spes sit, illum aliquando gradatim ad sacerdotium peruenire posse.

XVII.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

U T ecclesiarum bona & iura integra conseruentur, ne vel temporum iniuria, vel vsurpantium cupiditate, quorum insidiis vndique circumueniuntur, pereant; mandamus omnibus & singulis episcopis, vt cum primum facere potuerint, curent librum confici, in quem referantur episcopalis mensæ census, redditus, bona, prædia, iura, & iurisdictiones, & feuda cum finibus, attinentiis & pertinentiis illorum, & in illorum singulis notis exprimantur priuilegia, tituli, seu concessiones & legata ita clare & specificè, vt primo liceat intuitu recognoscere res ipsas, & vniuersa ecclesiæ, seu mensæ episcopalis integra iura; quod sit perpetuum episcopalium iurium monumentum.

Curent præterea episcopi, vt fiat item liber, in quem referantur clara & distincta descriptione dignitates, præbendæ, ecclesiæ parochiales, curatæ, & quæcumque beneficia tam simplicia, quam vel residentiæ, vel curæ animarum obligationi obnoxia, cum priuilegiis, iurisdictionibus, prædiis, redditibus, censibus, adiunctis finibus locorum, ac titulis eorum iurium præfatorum ad futurorum temporum memoriam, & ecclesiasticorum iurium conseruationem: quod ipsum negotium licet prima specie laboriosum & difficile videatur, non magno poterunt episcopi negotio per vicarios foraneos, seu alios ministros idoneos perficere; atque idem curent a capitulis cathedralium & collegiatarum ecclesiarum fieri.

Cum vero ad rectam administrationem non minus pertineat possessa conseruare, quam amissa & vsurpata recuperare, statuimus per episcopos diligenter vrgendum, vt a libris mensæ episcopalis, capitulorum, & quorumcumque beneficiorum partitæ, quæ non exiguntur, decerpantur, & in libellum particularem referantur: postremo procuratoribus iniungant, vt super earum singulis experiantur non minus scite, quam prudenter, vt amissa, vt vsurpata iuris mediis recuperentur; recuperationes vero ad singulas partitas mandent adscribi, vt ipsæ etiam in earum, quæ exiguntur, numerum integre referantur.

Locationes bonorum ecclesiasticorum vltra triennium sine apostolica concessione sub pœna a iure statuta fieri

prohibemus: permutationes bonorum ecclesiæ sine concessione apostolica, infeudationes & emphyteuses contra sacrorum Canonum ordinationes & iuris tramitem attentari non debere edicimus: attentata in contrarium, cassa & nulla declaramus, & quatenus opus sit, irritamus, cassamus & annullamus, & qui contrafecerint, obnoxios pœnis iuris declaramus.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Vt autem sacrilega vsurpatorum cupiditas statum agnoscat suæ peruersitatis & a malo desciscat, in omnibus ecclesiis curatis præcipimus & mandamus, in tertia dominica cuiuscumque mensis intra Missarum solennia promulgari populo decretum sacri Tridentini Concilii sessione 22. cap. II. de reformatione in linguam Italicam conuersum: Confessores vero præcipimus omnes serio moneri, vt pœnitentes super vsurpationibus præfatis confessionum tempore examinare studeant.

Episcopos autem per misericordiam Dei obsecramus, vt memores officii & muneris sui intelligant ecclesiarum & Christi patrimonii esse se administratores; mysteriorum vero Dei dispensatores, vt in altero libera sit exhibitionis & donationis commissa potestas: in altero vero facultas limitibus certis adstricta, quos transilire non liceat. Neque vero carni & sanguini de terris, ac bonis ecclesiæ dandum, aut impertiendum, etiam ratione censuum, nouarum infeudationum & nouæ emphyteuseos, vt terrarum & prædiorum ecclesiasticorum patrimonialium forma confundatur, & continuetur agrorum series, quam posterius non agnoscant, & in ecclesiis successores non intelligant: meditentur vero extremi diei rationem illam, quæ districto Dei iudicio subiicietur, ne sibi temporalis patrimonii incremento salutis & æternæ vitæ interitum comparent, & lucri specie perpetuam & ineuitabilem exitii perditionem subeant.

Auaritia, quæ est idolorum seruitus, aliena iniquius rapiente, & ad id quod suum non est, cupiditatem & manus extendente, nedum proprium cupidius retinente, quam Christianam decet caritatem, ferendum non est, vt cum iurium ecclesiasticorum iactura, qui percrebuerant abusus perseverent & progrediantur: fit autem, vt administratores reddituum & censuum ecclesiasticorum multa

ANNO  
CHRISTI  
1596.

ad suum commodum trahant; & dum factis rationibus administrationis debitores apparent; tum pro eo, quod debent, censum liuellarium super suis bonis ecclesie constituent; ac ut sua peruerfitatis solatium in promptu habent, ita facile adducuntur, ut plura in suos usus infumant, quam in ecclesie commodum: alterum sequitur, ut omnes certatim ecclesiarum administrationes cupide potius, quam ambitiose, quarant, cum tamen liuellationes huiusmodi a parte venditorum iniquae, a parte emptorum minus licitae appareant: quod ex bulla Pii quinti de censibus satis liquet. Idcirco opportuno remedio huiusmodi malo occurrentes, primo declaramus inhabiles omnes & singulos, cuiuscumque conditionis, nominis, ac tituli bonorum ecclesiasticorum administratores, qui sunt debitores, & debita non solidarunt, ad eandem administrationem recipiendam, donec, quod debent, integre persoluerint: eorumdem vero electionem tamquam non legitimam, & contra iuris ordinem, & rationem factam, cassam, & nullam declaramus, & quatenus opus sit, irritamus, & annullamus: secundo liuellationes quascumque per debitores ecclesiarum, aut alios, modo quo praefertur, etiam ratione censuum non solutorum factas, nullas pronuntiamus: tertio filios, & heredes debitorum iam defunctorum, donec integram summam defunctorum nomine debitam persoluerint; inhabiles ad ecclesiarum administrationem, quibus aliquid eo nomine debent, dicimus, & declaramus.

XVIII.

DIOECESEON latitudo efficit, ut cum episcoporum oculi in particularia quaedam locorum facta, & necessitates assidue intendi non possint, expediat ministros distributis in dioecesi regionibus habere, quos ipsarum regionum portionibus vicarios foraneos praeficiant. Horum episcopi fidei ac diligenti opera ad multa uti poterunt, in primisque ad executionem illorum, quae synodalibus constitutionibus praescribuntur, ac mandantur ad continendos ecclesiasticos officio, ecclesias ornatu, populos pietatis lege, & ad ea, quae paucis capitibus perstringemus, cum ex his aliquando quasi fundamentis maiorum possit profectum materia excitari.

Viciorum foraneorum munus praecipuum est, quae

PPPPP iij

cumque de constitutionibus, reparationibus, instructionibus, exornationibus ecclesiarum, sacristiarum, capellarum, altarium tam particulariter, quam generaliter mandata sunt, curare vt non modo executioni mandentur, sed vt bene mandentur: præterea illa etiam, quæ de honestate in ecclesiis seruanda, de ordine, & celebratione Missarum, & alia omnia, quæ curatorum diligentia commissa, & mandata sunt, tam respectu ministerii sacramentorum, quam aliorum quomodocumque ad ipsorum curatorum munera spectantium, curare, & exequi debent. Præterea vitam, mores, habitum, conuersationem, suspiciones rationabiles de vita, & moribus clericorum intra fines commissæ regionis videant, extraiudicialiter corrigant, emendare contendant. Si quid tamen vel incorrigibilitate, vel rei natura grauius inciderit, ad episcopum diligentissime perferant: quæ autem huius generis fecerint, aut curarint, ea scripto comprehendant, vt quodcumque requisiti, rationem reddere administrationis suæ valeant.

In re, & iuribus ecclesiasticis seruandis, tuendis, & recuperandis solícite particularium locorum curatos vrgeant, ne quid vel negligentia pereat, vel potentiorum vi & cupiditate vsurpetur. Si quid insolentius alicubi fiat, statim episcopo significetur.

In camerariorum electione, redituum ecclesiarum dispensatione, rationum redditione, reliquorum solutione, curent ea tolli, quæ vel impedimentum afferunt, vel damnum inferunt: præterea confinia terrarum, & bonorum ecclesiæ, præcipiant curatorum particularium sedulitate perfici; negligentes excitent, & ad bonum adducant.

De congregatione casuum conscientia singulis mensibus habenda, vicarii foranei præcipue agant, vt nunquam prætermittatur: illam vero seruato certo ordine vocent: mense ante futuram congregationem exhibeant clero suæ regionis duos, aut tres casus in congregatione excutiendos & decidendos. In congregationibus seruetur ordo, vt statuta die, quæ festâ esse non debet, summo mane omnes ad suum vicarium conueniant, & factò ab omnibus sacro cum Missa de Spiritu sancto fiat congregatio, in qua casus ante exhibiti decidantur. Ad congregationem euocentur om-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

nes, qui sunt de regione vicarii: contumaces pœna pecuniaria plectantur: multæ in expensas congregationis, librorum emendorum, & cursorum discurrentium insumantur: liber penes vicarium sit, successor pro tempore tradendus, in quo scribantur congregationes cum die, mense, & anno; ipsi etiam casus, & decisiones, præsentia curatorum, qui congregationi interfuerunt, absentium vel excusatio legitima, vel contumacia, itemque contumaciæ pœna.

Si quis ter contumax fuerit, ad episcopum deferatur, vt remedio grauiore contumaciam luere discat. Decisionum exemplum singulis mensibus ad episcopum perferendum curet.

Tempore congregationum frugalitas seruetur inter omnes, qui conuenient: dum corpus alitur, lectura aliqua sacre scripturæ condatur mensa, alatur animus; ante, & post fiat benedictio, & gratiarum actio, inchoante vicario, & prosequentibus reliquis.

Quæ de curatorum residentia præsentis Synodo decreta sunt, vicarii, vt obseruentur, studiose curent: super illorum recessu a cura ex causa rationabili seruandum curent, quod proprio de residentia curatorum capite statutum est.

Præterea illorum munus sit, cum aliquis ex curatis suæ regionis ægrotare cœperit, inuisere; si grauius se habuerit, curare diligentius, vt necessaria tam spiritualia, quam temporalia illi ministrentur; si obierit, in suo libro scribant obitum cum die, mense, & anno, statimque episcopum moneant: curabunt vero interim tam viuente curato in ægritudine, quam mortuo, ne cura animarum detrimentum patiatur: rerum, bonorum, quæcumque in vita possederit, curam diligentem habeant, ne quid fraudis in præiudicium eorum, qui succedere de iure debebunt, committatur, inuocato etiam super his, si opus fuerit, brachio seculari: exceptis calicibus, Missalibus, & paramentis tam ex auro, quam ex alia materia conflatis; quæ constitutione Pii quinti ecclesiis, de quarum fructibus facta sunt, tradenda hoc casu, & incorporanda omnino curabunt.

Ex sacerdotibus alienigenis si quis in regionem venerit, ne admittatur ad celebrationem Missæ, nisi licentiam a fo-

ro episcopali obtentam in scriptis habuerit : illos autem, qui tamquam peregrini ad Missarum celebrationem admissi sunt, in curam animarum intrudi non permittant. Cooperatores, seu capellanos quoscumque non permittant, confessiones audire, & sacramenta ministrare, nisi licentiam in scriptis obtentam ostenderit : eos, qui contra præmissa ire præsumpserint, ad episcopum deferre studeant.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Cum vero contigerit, dictos vicarios ad reuisionem ecclesiarum suæ regionis excurrere vel ordinarii officii sui obligatione, vel mandato speciali, tum eis non liceat quidquam ne minimum quidem pecuniæ, aut ab ecclesiis, aut ab earum camerariis exigere, seu petere, nec sponte oblatum accipere : si contra fecerint, eos declaramus exnunc poenas iuris a sacro Concilio Tridentino indictas incurrisse ; vt satisfacere eiusdem dispositioni non omittant. Vidualia modeste exhibeantur, vt nihil inter ecclesiasticos appareat indecorum, nihil superfluum ; omnia moderationis ecclesiasticæ lege temperata.

Declaramus autem decreta hæcenus edita non afficere, aut lædere iura capitulorum ecclesiarum cathedralium fundata in priuilegiis & indultis apostolicis.

#### XIX.

MONIALIVM, quarum dicata Deo virginitas diligenti episcoporum vigilantia custodienda est, ingressum ad monasteria, disciplinam, vitam regularem, & pietatem, tamquam certissima regularis perfectionis fundamenta, attente inspicere, attentius promouere, & summa sollicitudine tueri, ac defendere episcopali solertia conuenit. Nos vero ex alieno sumenda potius, quam depromenda de nostro in medium hoc de genere proponemus : ita tulerunt res, quæ modo nostræ sunt officio, & obligatione : quod tamen cœptum est, auctore Deo & duce, longius etiam eodem fauente Deo ad perfectum aliquando adducetur.

Tria sunt, quibus præcipue monastica disciplina status conseruatur, & augetur ; sufficiens communis victus, deuota regulæ obseruantia, pia sacramentorum frequentia : ad quæ si accedat pastoris vigilantia, Deo fauente sperandum est profici vel plurimum posse : quia tamen aliqua antecedunt, vt receptio, habitus, & professio ; quædam ve-

ANNO  
CHRISTI  
1596.

ro etiam subsequuntur ; de singulis statuere non modo  
vtile , sed necessarium existimamus.

Primo igitur quarant , & inuestigent episcopi , quot sint  
reditus monasteriorum , vel quæ elemosynarum quanti-  
tas ; & in sibi subiectis ordinarii , in aliis apostolica auctori-  
tate sibi pontificia constitutione attributa adhibitis supe-  
rioribus regularibus præstuant numerum monialium ,  
quæ in monasterio ali possint ; si plures sint , quam ali com-  
mode possint , decedentibus aliquibus non sufficiatur alia ,  
nisi redigatur numerus eo , vt adæquatis facultatibus pos-  
sit sustentari : quod districte præcipimus obseruandum ; ne  
premat egestas , & rei necessariæ inopia pereant omnia : in-  
terim vero curetur , vt ipsis monialibus , vel ipsarum indu-  
stria , vel publicis , & priuatis elemosynis subueniatur , dis-  
positis etiam per ecclesias capsulis , in quas caritatis subsi-  
dia conferantur.

Quia vero monasteria , quæ opibus olim affluebant , actio-  
rum seu procuratorum negligentia , siue potentiorum vsur-  
patione collabi ita solent , vt egere incipiant ; & ad pastora-  
lem pertinet sollicitudinem , quæ cadere cœperunt , aucto-  
ritate & subsidio fulcire , ne corruant ; omnes & singulos  
episcopos hortamur in Domino & serio monemus , vt omni  
studio curent , quo monasteriorum terræ , redditus , census  
& iura recuperentur ; agant apud locorum magistratus ,  
procuratores dicto excitent , monialium protectores , seu  
conseruatores incendant , omnia conentur , ne coram Deo  
negligentiæ arguantur , & fœcordiæ apud homines : quod si  
idem sit numerus re imminuta , qui integra fuit , nec resti-  
tutionis spes ostendatur , cogitent episcopi de numero pau-  
latim minuendo per obitum monialium , factæ abbatissis ,  
seu priorissis graui præcepto , ne de receptione alicuius ad  
monachatum aut tractent , aut deliberent se inconsulto : nisi  
enim præsentis remedio occurratur , erit magnopere ti-  
mendum , ne multorum annorum ære alieno , quod ne-  
cessitate contrahitur , vniuersus monialium status op-  
primatur ; quem consultius minui ex parte aliqua , quam  
totum extinguere , permittendum . Qua ratione si augean-  
tur monasteria legatis piis , & nouis redditibus , æquum  
est , seruatæ quæ seruanda sunt , reliquis , numerum etiam  
monialium augeri .

Concil. Tom. 36.

Q9999

Communis debet iis esse victus, quarum communis est domus, & vestitus, & regula; neque enim illa, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari, aut mutari possunt. Idcirco, sicubi fieri solitum est, partitiones de redditibus monasterii tam tritici, quam vini, (quæ fiebant inter moniales, vt quæque portionem haberet, & inde sibi victum sufficeret) damnamus & abolemus; & sub interminatione diuini iudicii, & pœna excommunicationis in singulas consentientes, in vniuersitatem vero interdicti ingressus ecclesiæ inhibemus, ne in posterum fiant, aut fieri per ipsarum monialium præfectas, abbatissas, seu priorissas permittantur: ipsis vero abbatissis, seu priorissis sub pœna priuationis ab officio præcipimus, vt quod contra præsentis constitutionis tenorem viderint vel cognouerint attentari, aut fieri, episcopo statim significant, quo abusus veteres tandem aliquando tollantur.

Quia in vnaquaque re dantur certi gradus, per quos ad maiora aspiratur, & ascenditur, atque hunc ordinem non in humanis tantum, sed in spiritualibus & diuinis etiam inueniri nemo negat: ita, vbi corruptela vetus radices egit, quas si statim euellere vi conemur, corruptum antequam sanetur, etiam ipsum ruet; curandum, vt remedia huius generis omnia in rationem quamdam temperentur, vt si minus celeriter, tuto certe sanare veterem morbum valeamus. Decernimus igitur in monasteriis monialium, vbi iam certus hac de re ordo, & cum ratione consentiens statutus non est; moniali aliqua, cuiuscumque religionis & ordinis sit, decedente post harum constitutionum promulgationem, & sanctæ sedis apostolicæ confirmationem, statim abbatissam, seu priorissam cum sua vicaria, vel, ea impedita, cum alia moniali ex maturioribus ætate, & prudentia debere thalamum, & omnia quæ in eo sunt, cuiuscumque generis & qualitatis, nomine monasterii factò diligenti inuentario in tenutam & possessionem accipere, eaque referre omnia in commune monasterii vestiarium, illata pecunia in commune monasterii scrinium. Thalami etiam clauis apud se retinere pro munere officii sui, ac de his omnibus quamprimum per literas episcopum admonere, si quid hoc de genere præcipere voluerit; non obstante monialis ipsius, dum viueret, electione discipulæ, & eiusdem destinatione etiam

ANNO  
CHRISTI  
1586.

cum abbatissæ, seu priorissæ, aut capituli monialium licentia ad futuram thalami, & rerum successionem: quæ omnia tamquam iuri, rationi, & ipsis regulæ substantialibus contraria, nulla declaramus, & quatenus opus sit, annullamus, & cassamus, declarantes neque abbatissam, neque priorissam, neque moniales cuiuscumque pactionis, conventionis, & concordii vigore ad huiusmodi executionem obligatas fuisse, aut obligari potuisse, cum ex altera parte subsit certissima obligatio non conueniendi, seu conuenta non obseruandi.

Abbatissas, seu priorissas, & earum vicarias, tamquam monasterii præfectas, serio monemus, vt inter suas moniales crebro agant hac de re, vt omnes discant nihil possidere se proprie; vsum habere in vita; in morte nullum dispositionis actum habere, aut habere posse, etiam consentiente præfecta; cuius partes sunt dispensare, non dissipare; hæc est enim dissipatio regulæ, quæ nec in vita, nec in morte proprietatem regularibus reliquit; & si quando a moniali ægrotante fuerint requisitæ, vt alii vel supellectilem dent, vel thalamum, pie instruant hoc non licere; ægræ partes esse, si quid in vita commisit, lacrymis, dolore, & pœnitentiæ sacramento expiare, non superaddere noua piacula, quibus foedius anima ad tremendum Dei iudicium exitura deturpetur: si qua licentiam testandi, aut quoquo modo disponendi, aut aliquam eligendi, seu nominandi, quæ succedat, de factò dederit, declaramus eam ab officio ipsò factò priuatam, & depositam, eandemque in perpetuum declaramus ad idem officium, & alia quæcumque in eadem religione obtinenda, inhabilem.

Has vero constitutiones, cum primum a sancta sede confirmationem acceperint, præcipimus, vbi monasteria reformata non sunt, abbatissis, seu priorissis, & monialibus, in linguam Italicam versas a vicariis, seu specialibus nuntiis episcoporum (vbi disciplina monastica reformationem nondum accepit) legi, declarari, & intimari, ac de huiusmodi intimatione in actis cancellariæ episcopalis scriptionem fieri diligentem.

In monasteriis, in quibus proprietates exulat, & omnis affectio corrupta, seruetur illa rerum omnium communio, quæ nihil habet, & cui nihil deest; quæ in egestate rerum

copiam habet, & nihil omnino habet: si quid enim est, hoc habet vsu, non affectu; quæ quidem diues inopia in omnium monialium domos & vitam pastorali prudentia & vigilantia inuehenda est.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Communis esse debet monialium mensa, ad quam omnes, exceptis ægrotantibus, conuenire debent, ac tenentur. Pactiones, siue consuetudines, quæ corruptelæ sunt, vt tantum pecuniæ detur ei, quæ ad mensam communem non accedit, reiicimus & nullas dicimus; & quæ vel obseruarint, vel vt obseruentur, institerint; mensis vnus voce in capitulo priuamus; aut alia pœna, quæ abbatissæ, vel priorissæ loci, aut vicariæ, si principales impeditæ fuerint, conueniens videbitur, plecti mandamus.

In mensa communi non desit spiritualis aliqua lectio, qua corporales cibi suauiter condiantur: debent enim, quæ Deo viuunt, spiritu magis viuere, vt licet necessitati corporis seruiant, plus tamen animo semper tributum velint: liber vero ad lectionem mensæ adhibendus a confessario probetur.

Silentium, obedientia, humilitas, caritas, ac reliquæ Christianæ virtutes inter regulares personas gemmarum clarissimarum loco sint, quibus præcipue monialium domus & familia exornetur.

Quæ a regula nomen ducunt, eam, cui se professione solenni adstrinxerunt, nosse regulam debent. Episcoporum igitur diligentia efficere debebit, vt regula inter moniales (vbi hæctenus omissa fuit) lingua Italica ab aliqua ex monialibus, quæ lectioni obeundæ aptior fuerit, & ab abbatissa, seu priorissa deputabitur, frequenter legatur, atque illa quidem in duas distinguatur partes, ita vt quotidie legatur aliquid post conuentualis Missæ officium vel in choro, vel alibi, vbi commodius possit, de tribus, quæ emittuntur in professione, votis, vt sapissime inculcentur & auctore Deo aliquando hæreant; alia vero per ordinem, vt quolibet festo die legantur quatuor, aut quinque capita, & a fine in principium redeatur, nunquam vero intermittatur. Inter legendum abbatissa, seu priorissa moniales moneat, & redarguat, si quid minus seruetur, aut negligatur: excitet vero ad correctionem & ad futuræ gloriæ cupiditatem, igniculos addens, & semina Christianæ pietatis: si

ANNO  
CHRISTI  
1556.

quid pœnæ a regula ob quodcumque commissum, aut  
omissum statutum est, hoc præfecta exequatur; si fuerit  
oppositum impedimentum, confessarium consulat, epi-  
scopum moneat.

Statis horis tam matutinis, quam diurnis, & vespertinis  
præfecta curent, vt omnes moniales in ecclesiam ad laudes  
Deo persolundas conueniant, & in ea non nugis & collo-  
cationibus operam dent: nulla vero monialis quocumque  
prætextu excusetur a choro, nisi vel ægritudinis causa, vel  
ægotantium custodia, vel iusti impedimenti excusatione;  
quam præfectarum munus erit cognoscere, & si legitima  
fuerit, etiam admittere. Quæ in chorum non venerint, pœ-  
na regulæ, aut alia etiam grauiori pro culpæ modo, a præ-  
fecta plectantur; ac, si contumacius perseuerarint, episco-  
po significetur, & medicinam conficiat ipsi ægritudini ac-  
commodandam.

Admoneantur sanctimoniales, vt saltem semel singulis  
mensibus confessionem peccatorum faciant, & sacrosan-  
ctam eucharistiam suscipiant, vt eo se saluari præsidio mu-  
niant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superan-  
das. Quod festis solennioribus anni, item beatæ Mariæ vir-  
ginis, & sanctorum apostolorum, omittere non debebunt.  
His attribuaturs confessarius ætate, & prudentia maturus,  
vita, moribus, & doctrina probatus: qui etiam pro oppor-  
tunitate norit aliquid e sacris scripturis depromere ad spiri-  
tualem ipsarum iucunditatem, & perfectæ vitæ progressio-  
nem: præter ordinarium alius extraordinarius ab episcopo  
eisdem bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confes-  
siones audire debeat.

Seniorum monialium partes sunt, iuniores ad sacra-  
mentorum frequentiam, & omnes alios pietatis, & deuotio-  
nis actus inuitare verbo, exemplo, caritate; vt ad iu-  
niorum modestiam, ac religionem pertinet, omnia, quæ  
in regula sunt, præcepta obseruare, ad ea se assidue exer-  
cere, & nihil omittere illorum, quæ ad regularis perfectio-  
nis implementum spectare aliqua ratione possunt.

At vero non exigua est educationis vis, qua fit habitus  
difficile mobilis, & par naturæ habilitas quædam: quo vno  
præcipue nititur morum & vitæ bene agendæ fundamen-  
tum: hoc attendant episcopi, sicubi adhuc non est institu-

ta ratio virginum ad sanctimonialium perfectionem traducendarum; & omnino prospiciant, vt quamprimum in singulis monasteriis instituatur nouitiatus, in quem tam præsentes puellæ, quæ degunt in monasteriis apud seniores, ibique in probatione morantur; quam omnes, quæ in futurum ad monasticam vitam aspirabunt, recipiantur. Quæ illuc vel suo dissensu, vel parentum, aut propinquorum impedimento diuertere noluerint, dimitti a monasterio volumus, nec eis suffragetur superiorum temporum abusus, aut pactio, siue concordium cum monasterio, aut monasterii præfectis alias initum; quam pactioem, seu conuentionem iniri non potuisse declaramus contra commune bonum monasterii: initam vero non tenere, nec quemquam obligare. In primis vero abolemus, & extinguimus in omnibus prouinciæ Aquileiensis monasteriis monialium discipularum nomen, & usum, quo solebant moniales puellam tam ex consanguineis, quam ex alienis recipere in discipulam, illamque educare, & usque ad professionem in monastica disciplina in proprio thalamo exercere. Inde enim, vt est sexus, & saculi infelicitas, parum boni oriebatur, vtinam nihil vel mali, vel scandali: in primis vero educationis dissimilitudo, & educantium diuersitas nihil hæctenus effecit, in quo non incompositio quædam, & dissonantia videretur, vniformi aliquando ratione, & disciplina temperanda: quod nouitiatus vnico remedio fauente Deo fieri poterit.

A tempore nouitiatus e septis monasterii exire nouitiis nullatenus permittatur. In nouitium nulla recipiatur sine habitu regulari. Ad habitum nulla nisi maior duodecim annorum: at vero antequam inducatur in monasterium, de libero eius consensu interrogata ab episcopo, vel vicario generali, aut aliquo ab eis deputato, inducetur in ecclesiam interiorem, vbi sacro audito, & accepta sanctissima comunione de confessarii, aut alterius manu, iuxta morem locorum assumet ab eodem habitum regularem, & in nouitium recipietur; ac finito tempore nouitiatus, & probationis, quod minus non sit anno, si decimum sextum ætatis annum impleuerit; (quod scripto authentico constare debet) & interrogata ab episcopo, vel vicario eius generali de pio illius consensu, & libera voluntate certum testimonium dederit, ad professionem recipi liceat. Optamus au-

ANNO  
 CHRISTI  
 1596.

tem, vt vetus monialium solenniter velandarum mos obliuione, ac defuetudine pene antiquatus ad vsum pristinum instituto & ritu proprio reuocetur; modo intra monasterium fiat.

Nouitiatum visitet singulis mensibus abbatissa, seu priorissa cum vicaria, & significet episcopo statum illius & puellarum disciplinam & præfectæ diligentiam.

Vsu pene locorum omnium receptum est, vt puellæ, quæ disciplinæ & educationis locum alibi non inueniunt, in monasteria consentientibus episcopis recipiantur & ibi pietatem discant, & moribus pene ecclesiasticis instituantur; vt, quo se contulerint, vel nuptui etiam traditæ fuerint, domos, familias, filios, pietatis ac religionis tacitis quasi documentis, quod a pio vitæ exemplo colligitur, imbuant & erudiant; quod ad gloriam Dei & salutem animarum pertinere nemo negarit. Ne tamen, quod passim fit ad commune bonum, communem afferat & insignem regularibus domibus iacturam, decernimus, (quod multis iam locis factum audiuius, probauimus, ac imitari affectamus) quamprimum monasteriis monialium, quæ puellarum educandarum studium non refugiunt, aliquam in ipso monasterio partem aptari a monialium cellis separatam, in quam recipiantur puellæ educandæ, & ibidem erudiantur. Sit autem vna omnium magistra, cuius dicto puellæ omnes parent, a qua vna omnes addiscenda addiscant: primum doceantur doctrinam Christianam, officium beatæ Mariæ virginis, septem psalmos pœnitentiales, coronam & rosarium; acu etiam pingere & alia facere, quæ ad sexum muliebrem honestandum & familias industria tuendas pertinere possunt. Hæc vero si semel ante finitum educationis tempus exiuerint, vel educatæ fuerint a monasterio, spem deponant restitutionis.

Salarium pro qualibet puella assignatum totum abbatissæ, vel priorissæ soluatur, vnde victus puellis, magistræ vero aliquid commodi vltra victum propter docendi laborem suppeditetur.

Alium educandarum puellarum modum abolemus, ac tollimus, vt iam illa, quæ mercimonii & irreligiosi lucri cupiditatem non olent modo, sed vere habent, a sancti monialium domo, quæ proprium non in re modo, sed in

ipsa voluntate abnegarunt, longissime arceantur.

Clausuram monialium, si episcopis subsint, ordinaria, sin minus, apostolica auctoritate iuxta Tridentini Concilii decretum ab ipsis reuideri, vel apostolica delegata auctoritate, vel ordinaria conuenit & reformari: in primis circa viridaria & hortos inspicienda muri altitudo, arborum a muris distantia, in ipsis septorum muris foramina tam intus, quam extra, vt diligentissime virginum Deo dicatarum conseruationi prospiciatur. Portas ingressus in monasterium bene muniendas, nunquam nisi ex causa necessaria aperiendas præcipiant. Parlatorii vero interior porta fera & vecte præsertim claudatur: clauis ab abbatissa, seu priorissa, aut vicaria seruetur: in parlatorio a parte monialium nihil omnino sit, quo porta interius obserari possit; si fuerit aliquid cum moniali a quoquam agendum, petat ipsa monialis a præfecta monasterii licentiam & clauem: expedita colloctione obserata porta clauem restituat: in quo statuimus obseruari, vt patres & matres etiam sine licentia (quoad fratres vero decernimus seruandum, quod est episcoporum diligentia hæcenus constitutum) possint suas vel filias, vel sorores alloqui: si alius extra hos fuerit, qui alloqui monialem velit, licentiam in scriptis ab episcopo obtineat: hi tamen non permittantur alloqui sine licentia abbatissæ, siue priorissæ, & præsentia auditricis: vbi vero ordo iam institutus est prædicto exactior, ille ibi seruetur.

Feminis, quæ meretricium exercuerunt, aut quarum honestas in dubium reuocata aliquando fuit, cum monialibus tractare, loqui, negotium habere nullatenus concedatur, etiam si causa prætendatur honesta; de qua tamen bene suspicari tutum omnino non est.

Episcopi ingressum nulli concedant, nisi ex causa necessaria & in scriptis; ipsi vero nunquam ingrediantur, nisi ex causa necessaria, & obseruent constitutionem Gregorii XIII. latam die 23. Decembris MDLXXXI. vt censuras pontificias declinent.

Liber conficiatur in quolibet monasterio, in cuius parte scribantur omnia nomina & cognomina & patria monialium viuentium. Sit pars libri attributa scriptioni monialium morientium: tertia pars contineat nomina nouitiarum

ANNO  
CHRISTE  
1596.

ANNO  
CHRISTI  
1596.

rum cum die, mense, & anno receptionis: quarta pars habeat professiones cum die, mense, & anno, & professionum nominibus, cognominibus, & patria.

Præter hunc librum habeatur item liber puellarum quæ educantur: scribantur in eo in prima facie paginæ nomina, cognomina, & patria puellarum educandarum cum die, mense, & anno ingressus, & cum assignata quantitate pecuniæ, aut illius speciei, quæ fuit attributa pro cuiuslibet victu: ex altera parte scribantur quæcumque exhibita ex attributis pro victu.

Vterque liber sit apud præfectam monasterii, siue abbatissam, siue priorissam, & diligenter custodiatur; & episcopo, quodcumque voluerit, ac requisierit, sit in promptu: appareat vero, ut in reliquis, in his etiam diligentia illarum, quæ præfecturæ munus susceptum habent, ut laudem mereantur & præmium in cælo bene gestæ prouincia.

Multo vero plura statuenda pro bono sanctimonialium statu viderentur, nisi cogitandum esset de Domini sententia, qui cum multa apostolos docere & præcipere eisdem haberet, illa reticuit quæ portare tunc non possent, in aliud tempus extrahenda, cum habiliores ad intelligendum facti essent. Nos vero si de monialium domibus in prouincia bene constitutis cogitamus, hæc quæ iecimus fundamenta illo pertinebunt, ut quod præsentibus decretis faciendum putauimus, iam factum laudemus: si vero illarum rationem habemus, quæ principia & basès, quibus sustententur, adhuc non habent, satis multa statuimus, ut quæ modo portare non possint, inculcare superuacaneum videatur. Quod de reliquis etiam ad gubernium ecclesiasticum pertinentibus eodem consilio decreuisse & statuisse nos per Dei gratiam non pœnitebit.

Presbyteros sæculares ac regulares sine expressa licentia episcoporum decernimus non permittendos, ut in ecclesiis monialium episcopis subiectarum celebrent.

Ac ut laudamus quod multis iam factum locis audiui-  
mus, ita ubi non est institutum, decernimus instituendum; ut musicas laicorum, seu clericorum, in monialium ecclesiis episcopi non permittant, nisi licentia præcedente.

Extremum hoc episcopos monemus, accurate prospiciendum, ut incongruæ cuidam rei, quæ inter monialium

conuerſas paſſim viget, occurrant, nec permittant illas a monaſteriis ſuæ diœceſis ad colligendas eleemoſynas extra diœceſim diſcedere ſine literis commendatitiis; vt cognoſcantur vnde veniant, & quo, cuiuſve rei cauſa, proficiſcantur; aut ad eleemoſynarum collectiones, cum aliunde venerint, non admittant, niſi præfatas commendatitias attulerint; nec adhuc permittantur eleemoſynas colligere, niſi domum ante, in quam diuerterint, & in qua permaneant, ipſi notam fecerint.

ANNO  
CHRISTE  
1596.

Supraſcriptas conſtitutiones in prouinciali Synodo prima Aquileienſi promulgatas, & receptas, de conſilio & conſenſu reuerendiſſimorum dominorum coepiſcoporum noſtrorum decernimus in Synodo prima diœceſana a ſingulis epiſcopis promulgari, & executioni mandari, quatenus epiſcopalis ſolicitudo conficere poterit.

Si qua autem ſuper illis, aut illarum aliqua, circa veram intelligentiam dubitatio emerſerit, illius nobis declarationem vſque ad futuram Synodum prouincialem item de conſenſu eorundem reuerendiſſimorum dominorum coepiſcoporum reſeruamus.

Præfatarum vero conſtitutionum diſpoſitionem ſanctæ ſedis iudicio ſubiicimus, & confirmationem, & approbationem ab eadem petendam & impetrandam huſius ſanctæ Synodi Aquileienſis nomine decernimus omni meliori modo ad laudem omnipotentis Dei. Amen.

Ego Franciſcus patriarcha Aquileienſis definiens ſubſcribo.

Ego Georgius epiſcopus Petinenſis definiens ſubſcribo.

Ego Cæſar epiſcopus Parentinus definiens ſubſcripſi.

Ego Michael epiſcopus Vicentinus definiens ſubſcripſi.

Ego Iacobus epiſcopus Feltrenſis definiens ſubſcripſi.

Ego Claudius epiſcopus Polenſis definiens ſubſcripſi.

Ego M. Antonius epiſcopus Cenetenſis definiens ſubſcripſi.

Ego Albertus epiſcopus Famagulanus, coadiutor Veronæ, definiens ſubſcripſi.

Ego Marcus epiſcopus Paduanus definiens ſubſcripſi.

Ego epiſcopus Comenſis definiens ſubſcripſi.

Ego Aloyſius epiſcopus Taruiſinus definiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus de Pampero, canonicus Vtinenſis, ac procurator ſpecialis reuerendiſſimi domini Ioannis Ingegnerii epiſcopi Iuſtinopolitani, eius nomine interfui, ac ſubſcripſi, & omnia & ſingula in hac ſancta Synodo acta & publicata eius & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Horatius Buſinus iuris vtriuſque doctor & preſbyter, ac ciuis

ANNO  
CHRISTI  
1596.

Æmoniensis procurator specialis reuerendissimi domini Antonii Saraceni episcopi Æmoniensis, nomine eius interfui, & subscripsi, & omnia ac singula in hac sancta Synodo acta, edita & publicata, eius & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Valerius Trapola a Collibus iuris vtriusque doctor, & vicarius generalis reuerendissimi domini domini Matthæi Sanuti episcopi Concordiæ, eiusque in hoc specialis procurator, eius nomine interfui, & subscripsi, & omnia & singula in hac sancta Synodo decreta, atque edita & publicata, eius & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Gasparus Pinellus doctor sacræ theologiæ reuerendissimique domini episcopi Bellunensis procurator specialis, eius nomine interfui, & subscripsi, & omnia ac singula in hac sancta Synodo acta, edita & publicata, eius & ecclesiæ suæ nomine recipio.

*Superiora omnia Synodi huius prouincialis decreta recognita  
& approbata fuerunt a sacra congregatione  
Concilii Tridentini.*

HIERONYMVS CARDINALIS MATTHÆIVS.

In ciuitate Vtini die 28. Octobris 1596. comparuit coram reuerendissimo domino patriarcha Aquileiæ, &c. metropolitano reuerendus presbyter dominus Michael Passera canonicus Tergestinus, & specialis nuntius pro reuerendissimo domino episcopo Tergestino ad proponendas excusationes eiusdem reuerendissimi domini episcopi in Synodo prouinciali Aquileiensi, vt patet mandato sui procuratorii sub die 26. Octobris eiusdem anni manu domini Georgii Piccardi notarii Tergestini.

Die 2. Nouembris 1596. coram eodem reuerendissimo domino patriarcha metropolitano comparuit reuerendissimus & excellentissimus dominus Iosephus Roboretus cathedralis ecclesiæ Tridentinæ canonicus, & episcopatus Tridentini pro illustrissimo & reuerendissimo domino domino Ludouico sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali Madruccio dictæ ecclesiæ episcopo vicarius generalis, & ab eodem illustrissimo domino cardinali, vt patet literis dominationis suæ illustrissimæ datis Romæ die 19. Octobris 1596. manu propria subscriptis, & solito sigillo obsignatis, specialis nuntius destinatus ad Synodum prouincialem Aquileiensem.